# PALAESTRA
# LATINA

ANN. XLII (Fasc. IV). — N. 220
M. DECEMBRI — A. MCMLXXII

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

*Praeses:* J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.
*Moderator:* Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.
*Praecipui scriptores:* Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Pretium mittatur oportet ad administratorem:
San Antonio M.ª Claret, 9 — ZARAGOZA (España)
Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966 Editur Ordinarii et Superiorum licentia


# INDEX


ANN. XLII (FASC. IV). — N. 220
M. DECEMBRI — A. MCMLXXII



TH. CIRESOLA, *Kariba* ... 145

J. MARINELLI, *Januarius Episcopus in amphitheatro Puteolano.* 159

J. M. MIR, *Quid nos doceat Vergilius ex disciplina stilistica proposito quodam Aeneidis loco* ... 163

G. WALLNER, *Descensus ad inferos* ... 177

J. JIMÉNEZ, M. MOLINA, *Bibliographia* ... 179

M. MOLINA, *Index rerum atque scriptorum a. 1971 et 1972* ... 185

# PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII

A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XLII (FASC. IV). — N. 220 M. DECEMBRI MCMLXXII


# KARIBA

Libellus praemio Urbis ornatus in Certamine Capitolino XVII — MDCCCCLXVI.

COLLOCUTORES: *Antonius, Julius.*

ANT. Ubinam heri vespeń latebas? Nam te frustra telephonio vocavi. Uxor tua mihi respondit te in thermopolium abisse ut de more cum amicis pictis chartulis luderes. At thermopola telephonio a me rogatus te minime illic versari comiter me certiorem fecit.

JUL. Valde doleo. Sed quid tanti momenti te angebat, ut me quovis pacto inquireres?

ANT. Nolim aliquid molesti suspiceris, cum res potius fuerit perjucunda. Tecum visere statueram novam quandam fabulam pictis taeniolis expressam, cujus titulus gallice sic se habet: «*Fifi la plume*», at latine vertere possumus «*Fifius pinnatus*».

JUL. Ut tu semper eris rerum externarum studiosus, nostrarum contemptor!

ANT. At quid nostrates artifices nobis suppeditant? Nunc *Rochum ejusque fratres* laudas? Num *Frusinatem,* quae vulgo «*La Ciociara*» appellatur, probas? Num *Mendicum,* qui Italice «*L'Accattone*» nominatur, mavis? In quibus fabulis multa sunt quae videre nolis. At earum auctores, merae, quae dicitur, artis praecepta secuti, ita animorum libidinibus blandiuntur, ut bonarum artium corruptores, optimorum morum eversores exsistant.

JUL. Haud injuria volubiles nostras imagines quereris. Qui tamen ad mobilium figurarum spectaculum conveniunt, id unum quaerunt, id unum exoptant, ut nonnullas horas procul negotiis, omnibusque curis soluti jucunde degant. At nunc pictarum imaginum effectores ar-

tem suam in pejus ruere queruntur, opemque a publico aerario efflagitant. Quid, si omni verecundia abjecta, perinde ac reipublicae hostes habendi sunt? Sed vel pauca, quaeso, de tuo *Fifio pinnato,* dum in via, tiliis odoratis consita, ambulamus. Post diem torridum vesper adest mitissimus, leni a mari aura adspirante.

ANT. Res quidem haud invenusta, sed ea fortasse quae sensus quoque subtiles abdat. Nosti profecto Robertum Lamorissium.

JUL. Qui et *Folliculum Rubrum* et *Folliculo vectum* tam lepide invenit atque edidit, in quibus nescias utrum fabula magis jocosa laudanda sit an ars quae spectantes rapit ad nescio quam regionem, ubi et curas obliviscuntur et omnes maerores atque aegritudines missas faciunt, seque, fabularum rectoris artificio quodam adductos, tantopere oblectant, ut quodammodo sibi repuerascere videantur.

ANT. At nunc mira quadam imaginationis vi concitatus, a rebus veris effectisque amotus, Robertus Lamorissius hominem quendam eundemque alitem sibi finxit, qui totum orbem terrarum pervolat, ut omnes injurias comprimat easque persequatur, ut miserarum puellarum amori decepto auxilietur. Sed vide, sis, quam lepide artifex, qui fabulam agit, Philippus Avronius, res fictas pertractet. Fifius, qui alis exornatus alitibus similis videtur, vitio quodam haud sane laudando afficitur. Vox Gallica *voler* duas significationes, summopere inter se contrarias, comprehendit: volare et furari. Fifius igitur volat sed, pro dolor inversique alitum mores, furatur. Ne credas tamen eum capsas aeratas effringere, vel nummorum sacculos arripere, vel viatores manuballistula confodere atque exspoliare. Nullius horum criminum reus fit. Fifius furatur sed horologia tantum, quibus prope insanit. Olim vero, manu sinistra non belle usus, ut Catullianis verbis utar, horologium viatori cuidam surripuit. Qui ubi statim se horologio spoliatum animadvertit, vehementer iratus, furem cito pede, ut suam rem recuperaret, insecutus, eum non potuit occupare, quippe qui in histrionum equorumque circum se recepisset. Ne multa, ibi, ut plane sui speciem vestigiaque aboleret, partes viri pinnati coactus agere, alas umeris aptat, quae tam mirum in modum ejus corpori conveniunt, ut in aere leviter sua sponte spatietur. Qui nuper Mercurii alumnus fuerat, fit repente alter Icarus, qui tamen sua volandi facultate utitur ut miseris subveniat. Quae, quanta fecerit, velim tibi...

JUL. Ne plura, amice! Quae mihi jam dixisti ea sunt, quae in me insuetum injecerint studium Fifii tui pinnati visendi.

ANT. Nec mihi molestum erit tecum una Fifium meum revisere. Duplex enim tunc voluptas erit.

JUL. Sed heri vesperi haud minus fortasse quam tu oblectatus sum.

ANT. Qui? Ubinam fuisti?

JUL. Nostin Joseph Laudensem?

ANT. Ingentium illum operum aedificatorem quis nescit? Saepe

de ejus operibus, quae ad electricam vim ex aquarum cursu eliciendam pertinent, acta diurna pertractant.

JUL. Hic igitur me sibi in via occurrentem domum suam adduxit.

ANT. Amicusne ejus es?

JUL. Non is sum, sed potius ejus studiosissimus. Cum ergo de ejus ingenio, de ejus operibus in Italia, in omnibus fere orbis terrarum partibus, in nostrae civitatis commentario summa cum laude attigerim, sui grati animi officium existimavit, me pleniore notitia instruere de molibus, quas ad Zambesim flumen coercendum exstruxit apud Karibam, quae sunt angustiae, in quas influit, sibi aegre iter aperiens. Ejus narratio jucundior fuit, quod imaginibus in albo projectis fuit, ut ita dicam, sustentata.

ANT. Sed ipse Joseph Laudensis qui vir est?

JUL. Aequa statura, membris strictis ideoque vigentibus, facie decora, fronte lata, haud denso at adhuc nigro capillo. Sed quod magis in eo mireris, oculorum acies est, qua penitus animum colloquentis perscrutatur.

ANT. Animi virtutes, puto, pares corpori in eo sunt.

JUL. Haud falleris, amice. Post recens bellum novum quoddam genus Italorum exstitit, qui vanarum rerum cogitationibus omissis, summo studio diuturnoque labore enituntur ut pares optimis cujusque nationis viris se praestent, ut patriae et bello et factionibus dilaceratae ac prope exhaustae subveniant, ut populi Italici opes tot funestis casibus prope deletas possint redintegrare. Quibus egregiis viris illud veteris poetae optime convenire videtur: non videri, sed esse sibi optimum esse duxerunt. Inter quos primum vel inter primos haud dubitaverim Joseph Laudensem referre.

ANT. Accendis, quare quid heri tibi enarraverit scire cupiam.

JUL. Ubi domum ejus pervenimus meque ille laudatum uxori et liberis summa benevolentia tradidit paululum in triclinio commorati, ut theanam potionem crustula adrodentes sorbillaremus, in officium scriptorium concessimus. Conclave spatiosum est, duabus amplis fenestris in hortum patentibus instructum, cujus parietes ligneis loculamentis, versabilibus vitris clausis, paene abditi sunt. A fronte autem loculamentorum, medium conclave dividit mensa praelonga, in qua multa architectorum instrumenta videas, ligneas regulas, normas buxeas, omnis generis circinos, sed omnia certo ordine disposita, ut facile intellegas Joseph Laudensem eum virum esse ut, quem notionum perspicuum ordinem in mente possideat, eum in rebus quoque gerendis persequatur. Ut me vidit infinitam librorum seriem in loculamentis apte dispositam considerantem: «Hic —inquit— et Vergilius recipitur, nec Horatius exluditur. Fit interdum ut eorum carmina in manibus versem. Sed me tardiorem, quod valde mihi dolendum est, in poetis latinis interpretandis fieri in dies animadverto». «Sunt quae —respondi— majoris momenti sint. Quin immo, quod in tantis negotiis, in tanta rerum mole, in tanta itinerum va-

rietate, nondum Romanos poetas eorumque humanitatem, ut plerumque fit, missos fecisti, haud dubito te summa laude dignum esse asseverare».

Interea famuli commoda arcisellia tomento farta corioque praesuta nobis attulerunt. In quibus in arcum dispositis a matre familias considere comiter jussi sumus. In medio monopodium, super quo duo vel tres catilli nicotiano cineri recipiendo, nam capsula argentea tabaci fistulae offerebantur. Duo vero aedificatoris filii, quorum alter flavo capillo tertiae Lycei classis auditor est, alter nigro capillo alterius, atque jam, brevi patris vestigia secuturi, ei quodammodo auxilio sunt, quam ob rem paterna instrumenta tractare assuescunt, machinulam in album imaginibus proiciendis pone collocaverant, pictasque taeniolas ad patris narrationem ejusque nutu pro tempore volvebant.

«Quae apud Karibam in Foederatis Civitatibus Rhodesiae gesta sunt —sic Joseph Laudensis tranquille, submissa fere voce, enarrare coepit nicotianam fistulam succensam interdum sugens— ea sunt quae non modo ad artem aedificandi pertineant, sed ad hominum cultum provehendum, ad barbariem devincendam. Mihi sociisque meis non solum bellum gerendum fuit contra locorum asperitates, contra immanem fluminum vim, sed contra barbarorum hominum religiones, contra eorum mores efferatos, contra instituta beluis magis digna quam hominibus. Nos, qui in intimam horridamque Africae regionem nostrae humanitatis reperta inducere conabamur, qui ad publicam utilitatem fluminis Zambesis ingentem aquarum copiam coercere institueramus, illius gentis mentibus impii videbamur, qui cum Zambesis fluminis numine, quod ipsi *Nyaminyami* vocant, summa audacia, vel potius incredibili temeritate, manus conserere audebamus. Fortasse —hic subridens totus ad me conversus Joseph Laudensis ait— miraris quod in primo sermone saepius de bello mentio fit, iisque verbis utor, quae ad bellum potius sunt accommodata. Sed revera triplex bellum nobis gerendum fuit, contra artis aemulos, contra barbaros regionis incolas, contra terrae caelique immanes adversitates».

«E quibus omnibus —hic jure dicentem interpellavi— mirum in modum victores evasistis».

«Sed Deo adjuvante, fortuna favente, ingenti vero hominum nisu. Cum ante diem XIV Kal. Majas anno MCMLVI Sorbioduni, quod caput est Rhodesiae, involucra aperta sunt, quibus aedificandi societatum continebantur petitiones, ut agger in flumine Zambesi exstrueretur, nemo erat quin hoc opus immane Anglicis societatibus adsignandum censeret. Ingens ad tantum opus patrandum pecunia provisa, quae ad Anglicarum libellarum octingenties centena milia propius accedebat, ac fortasse erat superior, acerrimum negotiatorum omnium nationum certamen excitaverat, in quo victores evasissent

qui minimi opus exstruendum conducerent, maximis summae in arte peritiae testimoniis prolatis.

At qui in Foederatis Rhodesiae Civitatibus electridis regit administrationem, postquam, sine ulla vultus mutatione, summa cum tranquillitate sex magnos chartarum fasces aperuit, evolvit, limis oculis attigit, se comiter imaginum artificibus luce pictarum praebuit. Quid de certantibus reipublicae administratores decrevissent, in posterum dixit manifestum futurum, atque subridens secessit.

Ineunte autem mense Julio felix vere, faustus fortunatusque nuntius, eo jucundior quo minore spe exspectatus, nobis est allatus: proposita nostra Foederatis Rhodesiae Civitatibus summopere probari, ideoque nobis committendum, ut quam primum initium operi daremus».

ANT. Quod gaudium, quod decus aedificatorum societati! Cui... quod nomen est?

JUL. «*Impresit*», hoc est Italica aedificatorum consociatio. Sed gaudium, sis, magnum fuit, festinatio vero nulla. Nam Joseph Laudensis, consociationis praeses, is vir est qui nihil fortunae, nihil temeritati obnoxium patiatur.

«Nuntio accepto —ita ille meas gratulationes prosecutus est— statim summa cura omnem operum ordinem instituendum curavi. Nec res quidem erat parvi momenti, quod fere mille erant qui variis officiis fungerentur, sex fere milia opificum numerabantur, ita ut parvi cujusdam exercitus species nobis offerri videretur. Hoc vero praecipuae tunc mihi meisque sociis fuit curae, ne tanto impares incepto videremur. Qui nuper e bello immani profligati evaseramus, flocci facti a paene toto orbe terrarum, naso, mihi liceat verbis Horatianis uti, ab omnibus suspensi adunco, cum maximis aedificatorum societatibus ausi magis contendere quam certare, nobis ab omnibus invideri compertum jam pridem habebamus. In nos oculos omnes intendebant, si quid minus apte gereremus. Kariba et nobis et patriae nostrae discrimen erat gravissimum, at occasio peropportuna ut a recentibus seu erroribus seu calamitatibus ablueremur, ut falsas, invidas, malevolas externarum gentium opiniones de nostris operis, de cunctis Italis deleremus, ut altiora denique de nostra patria ejusque incolis externae gentes sentirent.

Itali citharizantes nihilque agentes jam diu velut in proverbium venerant. Nec deerant qui nobis obtrectarent quod pastis tubulatis vesceremur. Quibus omnibus de causis nobis summis viribus enitendum erat ut tantum periculum quavis ratione superaremus.

Hoc cunctis operis ministris facile persuasi, hoc opificibus, qui ad unum omnes ad prosperum tanti incepti exitum paene se devovere. Noli igitur mirari si in mea narratione tam saepe vox belli occurrit, si interdum iis verbis utor quae ad rem militarem potius pertineant».

ANT. Ut novorum Italorum exemplar Joseph Laudensis se praestat,

qui non verbis, sed rebus gestis nos omnes admonet, ut ad majora semper intendamus!

JUL. Labor paene Herculeus dicendus res ab Italis suscepta. Quod si Hercules Alphei cursum ex alveo extrusi devertit ut Augeae cloacas purgaret, nostratibus immensus Zambesiarum decursus aquarum erat compescendus. Sed quid veterum commenticias fabulas profero? Quae nostrae aetatis homines scientia, labore, pervicacia operantur, ea sunt quae omnibus fabulis, quas acerrima mentis concitatione sibi veteres finxerunt, majora esse appareant.

«Ad tantas opificum copias, in tantum temporis spatium, hospitiis recipiendas —tunc Joseph Laudensis inquit— stativis castris opus erat. Quamobrem duo pagi ex integro aedificati sunt, quorum alterum edito loco positum, opifices Italici incolebant, alterum, in inferiore planitie collocatum, operarii, qui e propinquis Africae regionibus magno illecti lucro convenerant. Qui pagi omnibus opibus, quae ad humanum cultum sunt necessariae praediti exornatique exstiterunt, quippe qui et templis, et ludis, et mensis nummariis, et tabernis, gymnasiis denique, publicis infirmorum hospitiis, balneis, piscinis essent instructi.

Summo studio, juvenalique quodam impetu opus aggressi opifices omnes totum diem, alterna per duodecim horas vice, operabantur, quo, citius proviso, ad exitum statutum pervenirent. Pilas jam videres, adjectam molem sustentantes, ex imo fluminis alveo magis magisque in dies crescere, imas utrimque montis radices perfossas, medium fluminis alveum exsiccatum, ut Zambesis, in novum alveum immissus, obliquus flueret. Cuncta omnium exspectatione felicius procedère videbantur, cum praegravis calamitas immineret.

Postquam opifices nostri ad Karibam pervenerunt, atque barbaris regionis incolis familiariter quodammodo usi sunt, rumor ad aures eorum coepit adventare de *Nyaminyami*, quodam fluminis Zambesis numine, quem minime passurum affirmabant frenum ab externis, alba cute insignibus, flumini suo imponi, eumque brevi commissurum ut opera exstructa levi caudae ictu in imos fluminis fluctus demergeret. Quae omnia, velut inanes barbarorum fabulas, nostri opifices vafri contemnebant. Cum vero ad familiares epistulis res suas perscribebant, facere non poterant quin etiam de *Nyaminyami* quadam animorum audacia scriberent, stultos barbarorum terrores ridentes, tamquam si de Sanyatis fluminis hippopotamis ageretur, vel de crocodilis in rupibus apricantibus, de simiis in summis montibus baubantibus, vel de tympanis sub occasum solis in proximis pagis reboantibus. Sed quae postea, exspectatione majora, evenerunt, risum in omnium ore exstinxerunt.

Antequam immani impetu in Karibae fauces Zambesis incurrant, regionem vastissimam trecentorum triginta fere milium in quadrum cum fluminibus influentibus irrigat. Ineunte mense Martio nullum dubium fuit quin Zambesis omnes vires colligeret ut impetum con-

tra hominum opera, more modoque ad id temporis inusitato, faceret. Tum in mentes omnium operariorum opificumque venit *Nyaminyami*, cujus magi haec praedixerant: si homines alba cute insignes Zambesis fauces muro obstruere conati essent, fluminis deus, ut penitus hostes suos deleret, Zambesim et flumina in eum influentia aquis exundantibus impleturum.

Quod vero maximum fuit calamitatis, flumen Sanyatis, quod in Zambesim paulo supra Karibam influit, ingentibus diuturnisque imbribus auctum, continuo duplicatis aquis Zambesim, in horas tumescentem, terribiliorem effecit. In fluminis faucibus arbores enatare radicitus divulsas, lintres effractas, virgulta in immensam struem in se implicata, casularumque tecta in gyrum revoluta videres, dum interea flumen in temporis momenta magis magisque crescit, jam aggerem exstructum exsuperat, seque in immanem vorticem volvit, horribili fragore intonat, jam pontis tigna quassat, crates longuriosque candentibus spumis abdit, submergit. Quinque dies continuos flumen incredibili impetu in hominum opera irruit. Sexto autem die aquarum cumulus paulatim decrescere coepit, flumenque in alveum consuetum se recepit. Qui fluminis furoris tantaeque aquarum eluvionis testes fuerunt, ubi damna illata recensuerunt, ea longe opinione minora invenerunt, opificesque id unum condoluerunt, quod hippopotamum, provectum jam aetate, cui Carolo per jocum nomen indiderant, nusquam conspexerunt. Solebat is totum diem se in luto volutare a centum fere passibus. Vesperi autem aegre ripam fluminis scandebat, ad operariorum stationem graviter accessurus, operumque statum paulisper scrutatus, haud minus graviter abibat. Quem tandem opifices operariique in bonum omen acceperant. Cum fluminis aquae in consuetum alveum recesserunt, Carolus nusquam apparuit, non amplius visus est, quod graviorum calamitatum praesagium omnes fere operarii esse censuerunt.

Ant. Quae, puto, numquam evenerunt. Vulgus enim, qua credulitate est, pejora sibi fingere suevit.

Jul. At quae anno insequenti acciderunt multo graviora multoque calamitosiora fuere, adeo ut omnia opera delere paene visa sint.

«Nam —ita Josep Laudensis est exorsus, post parvum temporis intervallum ut rerum memorias mente colligeret, easque ordinaret pictis taeniolis adjutus— si quis sibi repraesentet totam Galliam tres menses imbribus assiduis prolutam, vel potius inundatam, totamque imbrium copiam in unum collectam mente sibi fingat uno tempore unoque impetu contra obstaculum quoddam projectam, is quodammodo Zambesis vim aut, ut verius loquar, immanem furorem in Karibae angustias mente poterit concipere. Quid hominum vires valebant, quid labores, quid industriae contra inexpugnabilem naturae potentiam? Res erat quae e divi Joannis Apocalypsi praesumpta atque figurata videretur, qui, ni fallor, his verbis loquitur: «El audivi de caelo vocem, tamquam vocem aquarum multarum, et tamquam

vocem tonitrus magni». Casulas pagorum omnes, baobabia ingentis magnitudinis radicitus evulsa furenti vertice flumen immani fragore vertebat. Quod maxime mireris, diligentissima a viris peritis habita ratione, decies millesimo quoque anno id tantum semel fieri solet. Pontes duo, qui operariorum stationibus in utraque fluminis ripa collocatis aditum praebebant, immanibus fluctibus arrepti atque contriti, undis spumantibus demersi evanuerunt.

Qua tanta rerum perturbatione neque rectorum neque operariorum neque opificum animi neque demissi, neque devicti fuerunt. Ubi tandem caeli serenitas illuxit, flumenque magis magisque in dies detumescens consuetum alveum occupavit, immensa vastissimae inluvionis damna quam studiosissime reparare sumus aggressi. Ac tanta fuit et rectorum et opificum omnium festinatio et celeritas, ut vel statuta operum tempora praevenerimus, in hoc similes formicis facti, quarum casulam viator quidam vel inopinatus, vel dedita opera infestus, calce diripuit: illae huc illuc fugiunt perterritae, sed paulo post, omni metu omisso, casulam redintegrare conantur».

Haec omnia Joseph Laudensis narravit, dum filius natu major taeniolarum imagines in album proicit, quo manifestius immane rerum discrimen appareret.

Ant. Multas equidem scriptorum cum nostrorum tum exterorum fabulas amatorias legi, sed nulla ex iis mihi est visa tam pulchra, nulla quae tantum me commoveret, nulla quae tantum animi intentionem sibi conciliaret quam narratio tua vel potius Joseph Laudensis. Nullum umquam flumen, puto, tanto impetu tantoque furore contra hominum opera irruit, nullum tanta pertinacia contendit. Nullum opus tot tantisque rebus adversis impeditum atque paene intermissum fuit.

Jul. «Luce pictae taeniolae —hic Joseph Laudensis accuratius patefecit— illorum dierum perturbationem, tantam rerum eversionem referre nequeunt, quae omnia ne ad mentem quidem nunc facile est revocare. Cum tamen haec mecum reputo, etiam nunc penitus commoveor. Nos omnes qui tanto rerum discrimini adfuimus, numquam dies illos obliviscemur, quibus tamen nec tranquillitatem nec animi aequabilitatem amisimus. Olim cum una convenissemus, quod facere cotidie consueramus, operum rector mihi chartulam manu transmisit, in qua hoc Sinense proverbium erat inscriptum: «Si qua ingens calamitas imminet, quam nequis removere, conside, eamque contemplare: postremum fortasse hoc facere potes». Hoc denique enitebamur ut animos tranquillos servaremus. Octo igitur mensibus et claustra refecimus, et pilas confirmavimus et pontibus iterum flumen junximus, ita ut statuta operibus tempora praeverterimus, non profecto sedentes tantum et contemplantes». Quid de lacu —tunc quaesivi— qui e Karibae claustris initium cepit?

«Miri quiddam profecto exstitit, —respondit— quod recte considerantibus ipsam molem in Karibae angustiis erectam et amplitudi-

ne immensa et beneficiis cunctae illi regioni allatis fortasse superat. Quod si ad numerorum rationem spectes, aggestus in Zambesis faucibus exstructus centum fere passus altus, in arcum extentus quadringentos passus patet, in vertice passus octo in latitudinem, cum in radice duplex sit latitudo. Ad exstruendam autem tantam molem glareae et calcis septingentis fere milibus passuum in cubum ductorum opus fuit.

Lacus autem, maximus ad id tempus in orbe terrarum ab hominibus exstructus, ducenta milia passuum in longitudinem patet, tredecim fere milia in latitudinem, quamobrem lacus totus tria milia quingentos passus in quadrum ductos patet, ita ut par sit regioni illi Italiae, quae Liguria appellatur.

Sed ubi deinde, Karibae faucibus mole praeclusis, Zambesis fluminis aquae in unum collectae in eo erant ut paulatim in immensum lacum exundarent, gens quaedam barbara eam regionem incolebat, quae Batonka nominatur, quae longe a nostro cultu atque humanitate abest, ita ut inter omnes Africanas nationes maxime barbara ac fera habeatur.

Haud multis ante annis in summo vitae periculo versabatur qui peregrinus apud Batonkas pervenisset. Etenim ut suae gentis ducis gratiam sibi conciliarent advenas necabant, eorumque calvae duci oblatae in ejus saepto custodiebantur, quae, et numero et varietate, ducis excellentiam testarentur.

Venationi maxime dediti agros imperite colebant, binae quotannis milii messes, quarum altera post annuas pluvias, altera post fluminis exundationes in limo riparum. Numnis non utebantur: quae tamen summopere cupiebant, quaeque ebore pellibusque permutandis sibi comparabant haec erant: torques, conchae, sal.

Aedificia hujus gentis praecipua et maxima horrea sunt palis innixa, in quibus messes altis tabulatis reconditae servantur, ne a formicis albis edantur, quas, dum in palos repere conantur, gallinae, ad id nutritae, arcent vorantque.

Viri feminaeque tunicillis vestiuntur, e pellibus tamen feminae atque ad femora discissis, e panno viri.

Batonkae qui erant transferendi in regionem feracissimam, ubi domus erant, publica aedificia ad omnem cultum utilitatemque comparata, ad quinquaginta milia numerabantur. Qui tamen terram, in qua nati nutritique erant, quae testis suorum vitae casuum majorumque fuerat, minime sibi relinquendam esse censebant, maximeque dolebant eam brevi aquarum praedam futuram. Reipublicae ministri ad eos missi, summa patientia et auctoritate, et necessitatem nativae terrae relinquendae, et utilitates novae regionis incolendae ostendebant. Majores eorum natu oculis maestis ministrorum vultus intuebantur, capite nutabant, nec quidquam respondebant.

Fuerunt ex eorum natione qui iis suaderent reipublicae ministris obstandum atque resistendum, qui eos ad seditionem hortarentur,

qui ad arma capienda incitarent. Qua de re reipublicae ministri sibi minime tempus terendum rati, neque ulterius verbis contendendum, sed quam celerrime operam sibi esse navandam, automatariis curribus pagum petierunt incolasque jusserunt se quam primum parare ut inde in statutam regionem transferrentur. Quae jussa nemo fuit quin, etsi invitus, exsequeretur.

Sed antea tribuum spiritus erant vario ritu placandi. Hominis effigiem e luto formatam in stagnis demergebant. Rem saepius sacram faciebant, in qua cervisiam diis propinabant eosque monebant sibi esse abeundum, non quod ex amicis inimici sibi inopinate dii essent facti, sed quo meliorem regionem incolerent. Deos in corde sibi semper futuros esse. At quin potius secum statuerent abire? Quod si calamitatibus in animo haberent Batonkas proficiscentes multare, caverent ne spiritus praestantiores incommoda haud leviora ipsis compararent.

At si adulescentuli juvenesque laeto prope animo locorum permutationem toleraverunt, senex quidam, in novam regionem aegre translatus, dum arborem radicitus evertit, putans se minime observari, operam intermittens, genu flexus humum pulverulentam manu tollit, eamque maestus callosis atterens digitis cum limo comparat, quem in ripis Zambesis noverat, atque ex imo pectore longa suspiria trahens, securim iterum arripiens in truncum paene iratus illidit.

Sed pueri libenter veterem regionem reliquerunt, ut novam incolerent, alacresque nunc in ludos conveniunt atque secreta illa signa perdiscere assuescunt, quibus profecto alborum hominum tota sapientia contineatur, seque sperant pares illis brevi futuros».

Ant. Minime putabam ex aggere contra flumen struendo curas tam varias tamque gravia officia oriri. Atqui res sic se habet. Quibus cordi est ut opera ad exitum prosperum perveniant, valde animadvertendum quatenus opera pateant, quid in cetera, quibuscum sunt conjuncta, efficiant, ne quid damni cuiquam inferant.

Jul. Recte es locutus. Ergo non solum hominibus sed beluis quoque erat consulendum.

Ant. Quid? Nonne fuit satius feras cunctas lacus undis demergi atque perire?

Jul. Ut parum cautum te praebes! Cave ne quis te audiat, ex iis qui se animalium defensores profitentur: viri, sed praesertim femellae, quae tam tenero animo tamque molli corde sunt, quae ne musculam quidem audeant necare. Quae, si homo imprudens faucibus leonis voratur, hoc fato quodam asseverant accidisse. At si leo ab homine necatur, hoc indignum esse humanitate contendunt, admodumque exprobandum, interfectorem et vocibus et scriptis insectantur, atque publicae ignominiae obnoxium praebent. Sed audi quibus verbis de beluis servandis Joseph Laudensis mihi sit locutus.

«Postquam fluminis claustra in faucibus Karibae fuerunt perfecta, amnis superior magis magisque crevit in dies. Non defuerunt

tunc qui summa vi enitendum esse censerent ut quam plurimae beluae servarentur a tanta fluminis eluvione, seque paratos praestiterunt ut periclitantibus subvenirent. Quam ob rem venationis, qui dicuntur, custodes modicis opibus, quibus uti poterant, sine ulla praemiorum spe, misericordia tantum beluarum commoti, quae alioquin erant periturae, lacum in quem confugerant, ut salutem sibi peterent natantes, lintribus et scaphis coeperunt peragrare, ut bestiis ferisque auxilium peropportunum ferrent. Quod sine ullo hominum clamore fecissent, nisi de re diurnarius quidam breviter attigisset in diario Rhodesiae, qui «*Dominicalis Nuntius*» inscribitur.

Quae notitia relata, aucta, inflata brevi totum orbem terrarum circumiit, omniumque animos commovit, excitavit, perturbavit. Societas Americana animalibus defendendis se minime passuram edixit tot beluarum sortem paucorum hominum alacritati committi: quin quovis pignore enisuram ut a morte destinata certaque vel minimas beluas eriperet. Tunc Rhodesiae reipublicae administratores, quos tanti clamoris rumorisque magnopere paenitebat, parvam, ut ita dicam, custodum aciem instruxerunt, ut totum lacum automatariis scaphis specularentur beluasque suo auxilio juvarent.

Aderant e toto paene terrarum orbe diurnarii ad id unum missi, photographi, televisionis opifices qui omnia ediscere, omnia videre, omnia quovis pacto referre studebant. Quae mira, nova, praeclaraque eveniebant, et tumidis elatisque verbis describebant vel lucis ope taeniolis imprimebant.

Operae pretium est nonnulla referre tam operosi facinoris, cui vir quidam, sacris litteris doctus, per jocum Noë operationi nomen indidit, alter vero, rebus bellicis temporis nostri eruditus, Anglicorum militum receptui apud Dunkerquem habito tantum casum similem esse affirmavit.

Cynocephalus, ingentis corporis simia, arborem manibus arreptam contentis viribus complectebatur. Ad quem, ex automataria scapha in flumen delapsus, custos quidam adnatavit. Dum cauda apprehensum secum aegre trahit, submersae arboris spinis implicatur. E quibus se frustra exsolvere conatur, cynocephalum asperrime reluctantem manu tenacissima corripiens, cum anguis omnium maxime veneno instructus, cui *mamba niger* nomen est, duos fere longus passus, celeriter natans custodem petit. Illum tunc venationis alter custos duabus glandibus ex ignivoma manuballista projectis transfossum in plures partes dividit. Deinde scapham automatariam ad collegam periclitantem admovit, atque, cynocephalo sublato atque in saccum demisso, sensim eum demergentem, e spinis exsolutum, in scapham recepit.

Tunc primum homines experti sunt, quod antea minime suspicabantur, omnes beluas posse plus minusve natare. Qua in re id quoque animadversum est feris quandam mentis aciem inesse. Anthalopus femina visa est ad ripam natare in dorso catulos gerens, dum mas

ad eos defendendos circumfertur. Visae quoque sunt beluae natantes capita truncis fluitantibus innixae, quibus ut nandi praesidiis callide utebantur.

Itaque et reipublicae Rhodesiae gubernatorum sapientia, et opibus a toto paene orbe terrarum congestis, sed praesertim virtute hominum atque audacia, qui ad id officium erant constituti, magna pars beluarum servatae atque in vivarium receptae sunt.

Lacus autem, qua amplitudine est, caeli condiciones, arborum herbarumque incrementa, rationem ipsam vivendi paucis annis commutabit, piscesque in eum immissi et nutriti magnam cibi copiam regionis incolis suppeditabunt. Qua re ne arbores, lacus undis submersae, ut plerumque evenit, lapideae fierent, quod magnum impedimentum ac detrimentum retibus piscatorum attulisset, immensis gravibusque sphaeris covinno automatario tractis, postratae contritaeque fuerunt».

Ant. Quam recte omnia memoria tenes, quam lepide refers quae audivisti!

Jul. Nihil mirum. Nam et eventuum varietate, et rerum gravitate, et amoenitate narrationis et imaginum perspicuitate, omnia quae audivi, ea penitus defixa in animo haerent, ut numquam possint in oblivionem ire. Sed ut ad propositum revertamur, alius ingens labor opificibus nostris suscipiendus fuit. Ut electrica vis apud Karibam excitata et conflata in longinquas regiones perveniret, forus, ut ita dicam, immanis per silvas saltusque erat aperiendus. Cujus operis difficultas sphaeris aeneis, de quibus supra dixi, est devicta. Forus itaque patefactus est, viginti passus latus, decies centena milia passuum longus, ibique tria milia ducentae pilae arena calceque compactae humi defixae sunt aereos funiculos gerentes.

Itaque, etsi rebus quam maxime adversis impediti, Italici opifices ante tempora statuta et cavernas in sinu montis exciderunt, ut ibi electricae machinae collocarentur, et aggerem contra flumen Zambesim erexerunt, quod opus et magnitudine molis et moenium altitudine Aegypti pyramides exaequat.

Ut in albo apparuit operis perfecti imago: «Siste, quaeso, —filium natu majorem rogavi— taeniolae cursum, quo melius et diutius tantum opus possim contemplari». Et res erat quae totam animi intentionem sibi conciliaret, quod imagines, rerum ipsarum coloribus effictae, veram tamquam speciem praebebant, ut crederes locis et rebus te ipsum adesse. Murus ingens conspiciebatur in arcum flexus, quem fluminis Zambesis aqua, ut caelum ipsum caerulea, urgebat, premebat, utrimque, velut immanis forceps, conterere conabatur. Frustra. Murus omnes fluminis minas jam contemnebat. Densarum color silvarum quam maxime viridis cum caeli fluminisque colore caeruleo, cum ravo colore aggeris mirum in modum congruebat, tamquam si eximius quidam pictor e tabella pictoria colores sinceros integrosque sumpsisset.

«Venit tandem —ita Joseph Laudensis narrare perrexit— dies

festus, cum opus perfectum consecratum est. Advenerunt e longinquis regionibus viri excellentissimi, advenerunt legati Anglorum reginae. Aderant, ut par est, diurnarii, photographi, televisionis opifices, qui omnia scrutari, omnia ediscere, omnia luce taeniolis imprimere certabant. Aderat tibicinum fidicinumque cohors quae faustis clangoribus aera incendebat, neque tantae omnium laetitiae festivi ignes defuere. Auditi sunt sermones pluribus linguis concinnati, quibus opus nuper perfectum ad astra elatum est.

Sed nobis Italis causae erant majores atque graviores cur in tanta omnium laetiatia beatissimi jure et essemus et diceremur. Nam post viginti illos annos cum, omnibus populis molesti, invidia potius quam admiratione afficiebamur, simultates et odia in nosmet ipsos temere concitantes, post immanem cladem qua contempti atque spreti, ludibrio paene omnibus populis facti, omnes nobis diffidebant, tunc fortasse primum quid Itali possent animadverterunt, qua virtute, qua constantia, qua vi ingenii ad omnia opera essent idonei intellexerunt. Tunc primum fortasse in Africa Italos cum summa benevolentia, tum maxima reverentia omnes sunt prosecuti. Laudi atque honori tandem fuit Italos esse, Italos nominari, cum antea nomen Italiae quodam risu pronuntiaretur. Fuere qui opifices nostros ut illic manerent ibique domicilium collocarent hortarentur, tanta fuit operositas, tanta probitas quibus brevi in omnium admirationem venerunt».

Ant. Joseph Laudensis dignus est procul dubio qui non solum aedificator sapientissimus habeatur, sed etiam patriae amantissimus.

Jul. Audi vero quibus verbis de sua profectione a Karibae regione sit locutus.

«Cum dies —inquit— advenit quo eram profecturus, volui ea loca solus revisere quae mihi et curas gravissimas et maxima gaudia comparaverant. Exeunte mense Junio, paulo post tertiam vigiliam surrexit, cum jam prima luce albescebat. Pedetemptim e deversorio egressus clivum descendi, ubi pagus erat collocatus. Omnia quieta, omnia tranquilla. E longinquo tenuis fluminis rumor audiebatur, olim minacis et violenti, nunc domiti et sequacis. Lento pede summum aggerem ingressus, in medio constiti ut postremum loca illa contemplarer mihi jam cara, ut ea sunt, quae nobis maerores et labores pariunt, at denique voluntatibus nostris parent. Frigidus aer e montibus leniter spirans vultum mulcebat. In caelo, quod numquam tam caeruleum videram, nubes candidae errabant, quae magis magisque exorientis solis roseo lumine collustratae rubescebant, ita ut lacus ipse rosea planities factus videretur. In silvis fremitus strepitusque beluarum, ex imis montium radicibus stridor clangorque electricarum machinarum. Oculos circum vertebam neque tanto rerum spectaculo poteram satiari. Quae mente jam pridem chartisque effigiata provideram, et meis pedibus subjecta videbam. Quid mirum si in tanta animi commotione verborum illorum mihi venit

in mentem, quae in sacris libris leguntur: «Et vidit Deus quod esset bonum», quippe qui mihi tunc visus sim scintillula quaedam immensi ignis divini?

Sed horae jam labebantur, jam e turri templi, divae Barbarae dicati, aes sacrum pios tinnitus edebat, quibus Christifideles ad preces et ad sacrum sollemne peragendum in memoriam omnium Karibae defunctorum invitabantur. Tunc mihi visus sum singulos opifices singulosque operarios ante oculos videre. Quae superioribus annis mecum una passi operatique erant, cogitatione recensui. Qui vulnerati, qui in ipso operis discrimine supremum diem obierant, menti ac paene oculis aderant, eosque ut fratres, ut filios a tanto, ut ita dicam, triumpho abesse dolebam, pro quo vitam ipsam devoverant».

Sed quid plura? His Joseph Laudensis valde commotus, atque lacrimis vultum respersus, quasi eum puderet se tantae animi commotioni obnoxium ostendere, ut vox ejus ipsa tremeret, deinde pacata, ut potuit, voce haec addidit, quae ut ad artem pertinentia nequeo ad verbum referre. Satis erit rerum summam meminisse. Opus Karibae ad finem perductum vim electricam triplicavit quae in ambabus Rhodesiis, septemtrionali et australi, edebatur. Quare maximum ceperunt incrementum et commercia cum finitimis regionibus et viae ferreis axibus constrate, et officinae ad civilem cultum provehendum.

ANT. Quam velim tantum virum noscere eique tradi!

JUL. Haud facilis profecto res est. Nam Joseph Laudensis, paucorum hominum vir, in suis negotiis semper est occupatus, ita ut saepe nescias ubinam terrarum sit. Sed mihi pergratum fecit, quod promisit se propediem quid in republica Ganensi fecerit, ut aggerem apud Akosombum exstrueret, lacumque structilem, maximum ad hunc diem hominum opera patefactum, constitueret, domi suae mihi narraturum. Hanc occasionem nactus, veniam ab eo impetrabo ut te adducere possim.

ANT. Quam maximas tibi et ago gratias et habebo.

JUL. Te ergo telephonio ad tempus advocabo. Sed jam ad multam noctem pervenimus. Tempus est nos domum redire. Salve, amice, molliter cubes.

ANT. Et tu, salve. Quae mihi narravisti, ea fortasse in somnis revisam. Bene quiesce.

Prof. THEODORUS CIRESOLA
Viale Brianza, n. 22
20127 — MILANO (Mediolani in Italia)

# JANUARIUS EPISCOPUS IN AMPHITHEATRO PUTEOLANO *

Urbs olim stetit in Campania, opima colonis;
    Ejus adhuc oras arquat utrinque mare.
Nulla fuit prorsus statio tam fida carinis,
    Tam variaque frequens gente strepensque forum [1].
Emporium nusquam ferme felicius exstat:
    Incoluit primum parva Pelasga manus [2].
Sprevit iniqua: proin «Dicearchia» nomen adeptast [3];
    «Nequitia» at potius nonne deceret eam?
Christicolas adversus enim saevire tyrannis
    Coepit, ubi primum gliscit adaucta fides.
Ex puteis urbs est jam pridem nomen adepta:
    Aegra refecit enim tum putealis humus.
Timotheus ludos circenses inde cruentos [4],
    Christiadas vexans, edidit ille ferox.
Per fidei testes spectacula grata in arena
    Praebuit, impastis jecit eosque feris.
Suspicio sic imminuit ceu mortis imago
    Semper eis, culpae nil scelerisve reis.
Has leges vulgat nam Praeses in urbe minaces:
    «Est Vulcanus herus, noster et ipse deus!
«Absit imago statim Christi redimita tropaeo:
    «Stet faber ignivomus, qui paret arma furens!»
Effera mens hominum! Piceam qui gestat in umbris
    Tartareamque facem, caede avidumque colunt;

* Res, de qua agitur, etsi fabulosa quodammodo videtur, aliquid tamen affert ad veterum Romanorum tempora moresque, maxime apud populos subjectos et in christicolas persequendos, declaranda.

1. CICERO, de regione, quam Campos Phlegraeos dicunt, scripturus, ejus celebritatem ob corruptos mores memorat: *...si quae non nupta mulier domum suam patefecerit...; si hoc Baiarum illa celebritate faciat...* (*Pro M. Caelio*, cap. 49) — TACITUS de «quinquatruum» festis diebus mentionem facit (*Annales*, XIV, 4) — Eorundem locorum mentionem faciunt: STRABO (Γεωγραφικά l. V); CICERO in *Epistulis* (Ad Atticum, V, 7).

2. *Pelasga manus* — Una ex variis gentibus, quae Graeciam antiquitus incoluerunt: hic pro Graecis ipsis vulgo accipiatur.

3. *Dicearchia*, et graeco fonte: justitiae imperium, quod per ironiam dictum videtur.

4. *Timotheus* — Puteolorum urbis praefectus, qui, cum «Januarium ejusque socios a christiana cultura nullis potuisset revocare tormentis et imperialibus subicere cerimoniis, capite plecti jussit.» (*Ex Actis martyrii*).

Paciferi mitisque Dei praecepta perosi,
Christiadum nomen despiciuntque fidem!
Altero ei claudo pede multae avidoque ruinae
Dona cremare focis thurea nemo neget;
Qui vero, sapiens, humanae gentis amore
Aestuat huic sit laus nulla decusve Deo!
Laudibus, immo, deos qui vix ornare recusent,
Grana leonis eos triticea ora molent.
Quam felix cibus, ut qui Christi regna recludet,
Aeternas epulas qui celebrare paret!
Nec vero caveae tantum spectacula praebent,
Cum non composite plebs ovat, immo strepit.
In fidei testes alia haec at leta parantur:
Membra flagella dolant: quam cruciatus atrox!
Lignorum super haec strue corpora nuda cremantur,
Unctaque resina; torret et illa torus,
Hic hami penetrant et in artus intus adunci,
Hic laquei, teretes, verbere terga terunt.
En equus hinc miseros par distrahit inde retrorsus,
Discerpens caudae membra ligata pilis [5].
Hic plenum lymphis, hic et pice fervet ahenum;
Per nares cerebrum cuspis acuta fodit.
Cum multis aliis Januarius ille tenetur
Carceris in latebris jam sociique diu;
Servandae fidei sunt munera cuique tributa:
Crimen id, haud aliud, labe notavit eos!
Hospes Parthenopen e litore vectus Eoo,
Per «Mare» jam «Nostrum», rex venit Armenius:
Praeses, amicus, ei, magna comitante caterva,
Obvius incedit... (calliditas an amor?
Hospitium gratum? Comes laetantur amici?!) [6]
Timotheus ludos instrui in arce jubet;
Major at iste tamen credatur et ille pusillus:
Iste decore tumens, clade sed ille miser!
Hyrcanis tigribus rabidisque leonibus offas
Nunc dare Christicolas hospiti honore placet.
Rex, inimicitiae vero non immemor actae,
Nec decus oblitus, grande quod ante fuit,

---

5. Cfr. Ovidius - *Tristia,* I, 3; 76-7. Mettius Fufetius, jam Romanorum socius, deinceps, in bello contra Veientes, proditor, hujuscemodi poenas dedit.

6. *Rex Armenius* - Tiridates: a Romanorum exercitu impetum atque cladem antea passus, deinceps in amicitiam per dolum ascitus, ut regno improvidus expelleretur. Cfr. Tacitus: *Annales,* XIV, 26: *Tiridaten, extrema Armeniae intrantem... abire procul ac spem belli amittere* (Corbulo) *subegit...; caedibus et incendiis possessionem Armeniae usurpabat.*

Cum sentit ludos inhonestos forte parari,
Ut praestans animo corpus itemque movet.
Non certamen init, non, ut gladiator, arenam
Retibus aut pedica cominus ipse petit;
Nullum quaerit enim nomen nec funus inultum;
Exemplum dare vult, crimen abesse cupit.
Eminus haud, igitur, jaculis hastisve fefellit
Se metas habilis collineare manus.
Praemia parva sed ut si quis vel honesta capessat
Ipse videre velit, quam jugulare viros;
Quin etiam fieri funesta per ora leonum
Christiadum caedes ancipitesve jocos.
Nemo, putes, videat quam sit mutatus ab illo
Armenius rex, qui thura Jovique dedit,
Nil aliisque deis dare qui desivit honorum:
Fata superna precum flectere fisus ope.
Cuique suae patriae civi sententia regis
Haec animos mutat, mox eademque fides;
Namque profecto Dei jam flatus anhelat in illo:
Verus et omnipotens imminet ipse Deus.
Testis enim fidei est Christi novus assecla factus,
Progeniemque novam martyris ossa dabunt.
Transfixos gladio vel beluae in ore recentes
Tritos Christiadas sanguine gignet humus.
Ut gregis Armeniae dux, nunc iter ante daturus,
Rex, patriam remeans, turpia cuncta luet.
Rite salutis enim mox ille Gregorius auctor[7]
Tot veteres maculas terget in amnis aquis.
Carceris interea tenebris Januarius, insons,
Usque manet: jam pro rege piamen erit!
Ista profecto Deus vult, ut rex prodigio adsit,
Insuper et stupeat numen adesse sibi.
En ferus ille Nero e Stygiis huc pervenit imis,
Quem Satanas genuit, caede nihilque satur.
Caede mori multos indigna, pollice verso,
Hospes ut ipse fremat, mandat: arena rubet...
Circus totus ovans resonat; quin turba coacta
Per caveam stupet, et gliscit eundo fragor.
Ast, ubi per mediam est Januarius actus arenam,
Bucina dat sonitum: tempus agonis init.
Nec plausus tamen auditur nullusve tumultus,
Ejus dum sociis sors eademque datur.

---

7. *Gregorius* — Hujus patriarchae, cujus nomen apud antiquam «B. Januarii vitam» legitur, nullum historiae monumentum mentionem facit.

Intrepidi simul e gladiis jam caede cruentum
  Ac tetigere solum, procubuere genu;
Attingunt oculis caelum, quasi pectora solvant:
  Aetheris arcanum lumen eosque ferit.
Splendidius Circus post clathra tuentibus egit
  Non aliud, cuivis vix memor adsit homo.
Major nulla fuit cujusvis fama triumphi,
  Mira nec, ut stupeas, huic similisve fuit.
Fuscina enim rabidas en, ergo, tricuspide durus
  Excutit e foveis miles atroxque tigres;
Si fodicans alacres inritat itemque leones,
  Christiadum dubitat membra caventne ferae?
Est ita; nam, stimulis factae rictuque feroces,
  Se, tamen, hae retrahunt, prorsus humique jacent;
Immo pedes etiam morituros lingere pronas
  Conspiciunt omnes (ut feritate vacant!)
Jure profecto famem, pro, jure sitimque deesse
  Paene putes! An non egit et ista Deus?
Haec alias Urbs aut alibi spectacula vidit?
  Victor inermis adest, victus abestque potens.
Heic, ubi sanguis humum toties foedavit arenae,
  Martyris et cruor os inficiatne feris?
Incolumes abeunt victuri semper inermes,
  Jam Christi testes. Et nihil obstat eis!
Christiadum mox Armeniae rex auget ovile:
  Per baptisma fides, lux nova splendet ei.
Quid spectabilius poteras, o dire tyranne?
  Quid molitus eras, trux et inique Nero?
Illius fidei, quam vellere niteris, amens,
  Semina nonne seris? Tene fefellit avis? [8]
Grandius ecquid adhuc aliud sperare studebis?
  Ipse ruit Circus; mox ruet imperium.
Squalida jam tibi, ceu senis, imminet umbra Quirini,
  Qui tua, stulte nepos, ultima fata canet!
E Christi cruce sed resonat: —Post fata resurgam!—
  Mox amor, haud odium, jam Crucis hospes erit!

Prof. JANUARIUS MARINELLI
Via Salvator Rosa, 241
80136 NEAPOLI in Italia

8. *Avis* = pro divinatione accipiatur.

# QUID NOS DOCEAT VERGILIUS EX DISCIPLINA STILISTICA — PROPOSITO QUODAM AENEIDIS LOCO —*

*Praemonenda*

Vergilius suis scriptis amplam posteris prodidit hereditatem: quam omnes qui ingenium excolere, animum conformare mentemque pascere volunt, decursu temporum, studiose adierunt atque scrutati sunt.

Audivimus in hoc consessu —idque libenter— quantum pondus in litteris nostrarum nationum constituendis Vergilius habuerit [1]. At nos in memoria rerum et laudum praeteritarum consistere minime possumus. Sed expedit ut exquiramus: ea, qua gloriamur Vergilii hereditate, sua apud nos virtute adhuc viget? nihilne aliud nobilissimus ille poëta romanus nobis tradere potest? Nam scriptor classicus cum sit, mandata habet —ad omnes qui ejus opera diligenter legunt— deferenda.

Consilium igitur mente suscepimus breviter demonstrandi Vergilium ex sua ipsius poëtae indole et ingenio, ex suis animi facultatibus, ex suo labore et opere artificioso, ex permotione quam ipse

---

* In Congressu Bucurestiis habito —die 31 m. augusti a. 1970, tempore postmeridiano— Josephus M.ª Mir C. M. F. hanc dissertationem coram adstantibus recitavit, quam ad Vergilii opus penitus intellegendum ac suavius gustandum magnum pondus habere censemus. In Actis Congressus, recens editis, pp. 223-233 refertur; sed cum haud pauci lectores ad manus hoc volumen fortasse non habent, commentationem libenter hic vulgamus.

1. Aegre tuli quod nullus e nostris civibus referret quantum pondus et auctoritatem habuerit Vergilius in litteris hispanicis. — Multa tamen de Vergilio apud nos edita sunt; duo tantum memorabo scriptores qui in interpretando Poëtae romano superioribus annis maximum collocarunt studium: V. E. Hernández Vista, qui —praeter alia scripta— librum vulgavit *Figuras y situaciones de la Eneida*[2], Madrid 1964, et Xaverius de Echave-Sustaeta, qui nonnulla composuit opera de Vergilio, in quibus *Virgilio,* Barcelona [Labor] 1947, *Virgilio — Eneida libro II,* Madrid [CSIC] 1962, *Virgilio y nosotros — El libro de Troya,* Barcelona [Cefiso] 1964: in quo sub indice *Virgilio en España* (pp. 107-167) quandam quasi summam et historiam profert de vi qua Vergilius in litteris hispanicis praesens est.

est expertus et nobiscum communicat, multa adhuc habere monita quae ex disciplina stilistica —id est ex intima scriptorum Poëtae investigatione— enasci videntur ac prodire.

### *Quae virtutes in scriptis Vergilii insint*

Vergilii carmina si interiore cogitatione expendimus, haec nobis in eis consideranda occurrent: quorum alia ad poëtae indolem et affectionem pertinent —ut sunt animi afflatus, rei perspicientia seu visio, animi permotio, phantasia [2] et subsidia litteraria quae praebet—; alia ad argumentum evolvendum: in eoque vocabula singula et cum aliis conjuncta existimanda sunt —his enim adjumentis poëta mentem suam aperit sensaque expromit—. Ex vocabulis autem conjunctis sententiae fiunt et versus, in quibus plurima subtili inquisitione enodanda sunt.

Quae si essent penitus agenda, in longiorem nos inducerent disputationem; pauca igitur tantum tangemus: quibus memoratas virtutes Vergilii summatim explicabimus et, proposito brevissimo Aeneidis loco, quae obscuritate fortasse obtegebantur, illustriora fient nobisque emolumento ac documento erunt.

Ea autem quae ad explicandam mentem et verba Poëtae afferuntur, exempla tantum sunt, quae ad alias narrationes et locos praecipuos Aeneidis et aliorum carminum aptari possunt: iisque confirmabitur fore ut Vergilius apud nos adhuc vita vigeat si ejus opera nostra indagatione et acri intuitu perscrutemur [3].

---

2. Ut recte admonet L. Luciano (*Vocabolario italiano-latino*, Bologna [Pàtron] 1962, s.v. *fantasia*) Romani, quam nos dicimus *phantasiam*, «ingenium, cogitationem, inventionem...» appellarunt, cum illam animi facultatem vix ab iis generalioribus virtutibus distinguerent. Cum autem aliae quae proponuntur voces (cfr. Krebs-Schmalz, *Antibarbarus der lateinischen Sprache*, Basel 1962, vol II, s.v.; G. B. Gandino, *Lo stile latino*, Torino [Paravia] 1962, p. 3, n. 10; Card. A. Bacci, *Lexicon*[4], Romae [Studium] 1963, s.v.; Luciano, *op. mem.*; O. Badellino, *Dizionario italiano-latino*, Torino [Rosenberg], 1965) id quod in mente habemus obscurius significent, vocem graecam adhibendam censui: quae et clarior est et in philosophia, ut technica, usurpanda.

3. Quae infra evolvimus cogitata —cum virtutes *stili* Vergilii laudamus et investigamus— a praeclaris doctis viris nostrae aetatis vel contrahendo vel aptando interdum sumimus; scriptorum autem nomina praecipua sunt:

Amado Alonso, *Materia y forma en poesía*[3], Madrid [Gredos] 1965,
Dámaso Alonso, *Poesía española*[5], Madrid [Gredos] 1966,
R. Wellek - A. Warren, *Teoría literaria*[4], Madrid [Gredos] 1969,
W. F. J. Knight, *Virgilio romano*, Milano [Longanesi] 1949,
G. Funaioli, *Studi di letteratura antica*, vol. II, t. I, Bologna [Zanichelli] 1958,
J. Marouzeau, *Traité de stylistique latine*[4], Paris [Les Belles L.] 1962,
Id., *L'ordre des mots en latin* —vol. complémentaire—, Paris 1953.

1. Primum quod in mentem occurrit, dum Vergilium legimus, est ejus *animi afflatus:* quo scriptores, in primis poëtae, imbuuntur cum opera sua pangunt; eoque sublato afflatu opera litteraria nullatenus esse possunt. Etenim Vergilius efficaci movebatur stimulo ad opus exsequendum, quodam quasi furore inflammabatur ut scriberet, intima afficiebatur intentione ad pulchritudinis gaudium conquirendum.

2. Una cum «animi afflatu» oculis mentique Vergilii tota res subiciebatur: quam in universum perspiciebat. Haec autem generalis rei *perspicientia* seu *visio* deinceps per singulas operis partes configuranda erat; a principio tamen perampla erat universae rei visio: qua omnes virtutes seu facultates animi —memoria, intellectus, voluntas, animi affectus— permovebantur.

3. Illa autem visione Poëta singulariter *afficiebatur,* ita ut ipse —et carmina quae pangebat— vehementi animi motione intingerentur: quo et res, de quibus agebat, non ut in natura exstabant sed sublimiore quadam ratione —prorsus sua, eoque momento percepta animo— conspiciebat.

4. Vergilius argumentum sumit evolvendum —carmen bucolicum, georgicum, librum aut locum Aeneidis—. Res vera aut ficta: quae tamen certo exstat in mente Poëtae, qua et permovetur.

Ut autem quae sequuntur clariora mentibus nostris appareant, locum ex Aeneide sumimus brevissimum, in quo tamen rei narratae sensus contineatur plenus. Qui locus prima embolii seu episodii [4] Laocoontis pars erit (*Aen.*, 2,40-56): ad quem orationem nostram saepe convertemus.

---

4. Vox *episodion - episodium* proprie seriem scenarum significat in tragoedia graeca, quibus inter stasimos drama contexebatur, atque actibus nostri dramatis respondet (cfr. AE. SPRINGHETTI, *Lexicon linguisticae et philologiae* [P. U. Gregoriana] Romae 1962; BACCI, *Lexicon*⁴, s.v. *aneddoto - episodio*). — Cum autem vulgatam nostram vocem *episodio* latine reddere volunt scriptores, ut plurimum ad circuitiones se convertunt (cfr. LUCIANO, *Vocabulario ital.-lat.;* BADELLINO, *Dizionario italiano-latino;* MARIANO, *Nuovo dizionario ital.-lat.* [17], Milano [Alighieri] 1963; MENGE-GUETHLING, *Deutsch-Lateinisch* [7], Berlin 1962). Admittunt tamen *embolium*: «pars fabulae, cum aliquid eidem interponitur» (cfr. FORCELLINI, *Lexicon;* et Bacci): quod et Cicero per translationem adhibuisse dicitur. — Neque tamen apparet cur, si vocem graecam *embolium* inducimus et admittimus —quam et nos probamus—, aliam *episodion* reiciamus, cum utraque graeca sit et parum in significando differant. Praeterea *episodion - episodium* per translationem nos dicere possumus latine: quia circuitiones id quod volumus parum definite exprimunt et alias res significare possunt, et quia est vox clarior et quasi technica habenda et usurpanda. — Ceterum, praeclarus scriptor J. B. Pighi, qui integra et urbana utitur latinitate, hac voce saepe usus est (cfr. *De libro Aeneidos VI quae est catabasis Aeneae,* Romae [P. A. S.] 1967, p. 69).

5. Ergo —ut in mediam rem penetremus— Vergilius conscius est Laocoontis narrationem esse suam: non tantum quia ea penitus permovetur, sed etiam quia suam prorsus facit nova exponendi ratione novisque rerum adjunctis. Ipse enim —animi afflatu impulsus, totius rei visione ductus, magnaque affectus commotione— aptiora praevidet subsidia litteraria ad rem cum venustate et delectatione exprimendam; quae autem sumit —e thesauro memoriae repetens aut nova fingens— in absolutam partium convenientiam et in artam totius rei unitatem digerit, alia omittens quae ab antiquis scriptoribus memorantur. Ideo specimen, quod mente concepit, versibus mandat ac Laocoontem principem et pugnatorem, Neptuni sacerdotem sorte electum, extra muros urbis eoque communis laetitiae momento in medios cives inducit, cum Trojani hostes fugisse falso credunt. Laocoon autem, dum ab arce descendit, infestum in equo videt hostem qui in urbem sagaciter penetrare studet; ardet furore, inflammatur ira, atque concitata oratione cives brevissimis insectationibus coarguit ac ferit; neque se ipse continere potest: hastam manibus sumit totisque viribus in ferum equum proicit. Laocoon, nunc, in medio stans tumulo —dum hastam contorquet et proicit eamque in ventre monstri infixam perspicit— quasi symbolum aequi sanique judicii exstat: nam in eo «melior sententia menti» (v. 35) fulget; cives vero furore vexantur et mentis caecitate obscurantur.

6. *Phantasia* —quam veteres «cogitationem» saepe dixerunt— vera est poëtae ministra et socia, quae et plurima subministrat adjumenta litteraria: in quibus praesertim sunt imagines, verborum translationes, adjectiva-epitheta —quae tamen generaliore hic sumimus sensu—.

a) *Imagines*: Ingens illa hasta validis Laocoontis viribus contorta, per aëra, en vibrat ac micat vehementique ictu in latus equi infigitur, stat, tremitque; uterus resonat ingentique armorum strepitu 'gemit'; tunc vero

*insonuere cavae gemitumque dedere cavernae* (v. 53);

qui versus alia nequit exprimi forma quin tota ejus venustas, suavitas, concinnitas plane evanescat. — Animum adverte aliam insequi imaginem qua *cavernae* et *gemitus* vita ornantur; nam 'gemitus' proprie ab hominibus editur, et poëta non dicit 'gemitus in cavernis *personuit'*, sed *gemitum*(que) *'dedere' cavernae*: cavernae igitur non recipiunt sed 'dant, efficiunt' strepitum; isque non 'strepitus' dicitur sed *gemitus: gemere* autem hominum aut animalium proprium est.

Neque illa praetereunda est imago qua prima Laocoontis episodii

pars clauditur. Trojam —peregre et absens— prospicit Aeneas: Trojam illam —in qua defendenda tot adierat proelia, infortunia, casus—; Trojam —quae alta et excelsa erigitur altaque semper in mente herois fuerat estque adhuc: cujus memoria et desiderio Aeneae animus deficit et vexatur—: *Trojaque nunc staret!...* —Hac autem patriae recordatione venerabile suscitatur Priami nomen, qui alta sedens in arce imbellibus quidem suis armis, sed animis armisque civium ac filiorum strenue patriam emorientem defendit. Rex, domus regia, res carae quae in ea custodiuntur, eversa et exstincta tandem sunt: suavis tantum in corde restat memoria: *Priamique arx alta maneres!...*

In primo autem versus hemistichio, Troja, quasi ante oculos posita, memoratur ac quodam modo praesens fit; in altero poëta, hypotyposi usus, arcem Priami alloqui videtur.

b) *Verborum translationes* et *adjectiva-epitheta* non tantum ad exornandam orationem magnopere pertinent, sed iis —adjectivis praesertim in versu affabre collocatis— poëtae sensa produntur et animi nostri moventur. Translationis autem exempla sunt *ardens* (v. 41), *laeva* (v. 54), *ligno* (v. 45), *machina* (v. 46), *ferro* (v. 55)...; epitheta vero haud pauca, de quibus infra agemus cum eorum inversionem et disjunctionem —quam veteres *hyperbaton* dixerunt— in versu exponemus.

c) Phantasia *animi impetum* concitat in Laocoontis oratione: acris, qua Vergilius ornatur, mens nunc alia exquisita praebet subsidia; vehementi animi incitatione movetur omnesque intime concitare cupit. — Sic orationem contexes: descendit primus Laocoon, ante omnes, sed equum procul contemplatus, in via consistit seque ad cives convertit, et ira ardens improviso fit orator; ejus oratio brevissima est, sed omnibus constat orationis rhetoricae partibus: qua, nisi cives obcaecati essent, eos in lucem veritatis et in hostis agnitionem perduxisset. Exordium versu 42 continetur: in quo de insania, qua cives oppressi peribunt, monet, eorumque summam miseriam luget («*miseri...* cives»); quadam quasi narratione —quae hucusque hostes peregerunt— versu 43 comprehendit: hostes —qui tot annos nos obsederunt, qui in nos tantum concitarunt odium— hos, Trojani, fugisse creditis?

Inflammata deinde argumenta, ut sagittae, ex ejus ore prodeunt:

1. *aut ulla putatis / dona carere dolis Danaum* (v. 43-44);
2. *sic notus Ulixes?* (v. 44) —maximus est enim machinator et auctor fraudum—;

3. *aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi* (v. 45);

4. *aut haec in nostros fabricata est machina muros* (v. 46),
— *inspectura domos venturaque desuper urbi* — (v. 47);

5. *aut aliquis latet error* (v. 48).

Argumenta, quae acres sunt etiam in cives insectationes, hac peroratione concluduntur: *equo ne credite, Teucri* (v. 48); atque ultimum datur Graecorum perfidiae et impietatis documentum: quod, cum sit usu rerum manifestissimum, extremo constat loco: nam ex eo tota pendet Trojae sors: «timeo Danaos (Graecos) etiam cum dona seu vota dis perferunt»: omnium enim sunt impiissimi.

Liquido apparet in hac oratione Vergilium ea elegisse argumenta quae animum Laocoontis maxime tangebant; ejus oratio est externa significatio et index altioris ratiocinii et animi penitus commoti: quae et oratione membratim divisa peracute expromuntur.

7. Notiones, quas Vergilius mente concepit, cum componuntur aptisque instruuntur verbis et metris, versus constituunt: vocabula autem quibus sententiae fiunt et versus, artis materia sunt, prorsus necessaria, quam poëta perpetuo expolire curat.

*Vocabulum* non est merus vocis sonus: ex natura sua natum aptumque est ad aliquid significandum: id autem quod verbo exprimitur *signans, significans* dicitur, et proprius, ad mentem Damasi Alonso, est quicquid in oratione —in versu— tenuiter aut magnopere valet seu vim habet ad rem *significatam* exprimendam; id vero quo aliquid in mentem instillatur vel quodam modo insinuatur ex notionum nexu et conexione, *res significata* appellatur[5]. Vis autem

---

5. De his notionibus cfr. F. DE SAUSSURE, *Curso de lingüística general*[3], Buenos Aires [Losada] 1959, p. 129; CH. BALLY, *El lenguaje y la vida*[3], Buenos Aires [Losada] 1957, p. 131; AMADO ALONSO, *Materia y forma en poesía*[3], p. 79-82; D. ALONSO, *Poesía española*[5], pp. 19-33,403-406; AE. SPRINGHETTI, *Lexicon*, s.v.; LÁZARO CARRETER, *Diccionario de términos filológicos*[3], Madrid [Gredos] 1968, s.v. *signo, significación, significado, significante.*

Quaestio —qua sensus *significantis* et *rei significatae* definitur et nexus qui inter utrumque elementum intercedit— maximi momenti est cum ex ea praecipua ratio pendeat qua disciplina stilistica constituatur. — Ut ex iis, quae supra in explicandis Vergilii versibus exponuntur, patet, vocabulum *significans* multas secum habere potest proprietates physicas —ut sunt tonus, soni qualitas (*timbro* - *timbre*), quantitas, intensio, significantia (*espressività* - *expresividad*)...— quae in oratione, et praecipue in versu, augentur et eminent ex syllabarum aut consonantium et vocalium iteratione, ex collocatione, aliisque. Hae autem proprietates —vel in se tantum— considerari possunt et expendi, quatenus sunt partes totius significantis, quod his physicis qualitatibus perficitur; additis autem aliis subsidiis stilisticis poëta in splendentem

insinuationis seu rei significatae cum animi motione et cum rei visione omnino conectitur.

Multi sunt qui justum modum et perfectam illam inter *significans* et *rem significatam* aequalitatem seu rectius «aequilibrium» abrumpunt; Vergilius, suae orationis gravitate ductus, harum partium pondus sustinet ac prudenter librat aequilibritatem.

Poëta amplius videt, et alia signat quam ipsa verba —id est *significans*— exprimunt; vocabulum est materies qua opus litterarium fabricatur. Ex quo haec pendent et inter se conectuntur: Vergilius rerum notiones —quas foris patefacit—, ordinem cogitationum —quas ex syntaxi apte disponit—, intima animi sensa —quae verborum contextu et ordine exprimit—, omnium sonorum moderationem ac prudentem distributionem, et quae propius ad versus accedunt —ut sunt rhythmus, caesura, ictus, allitterationes, concinnitas...—: haec et alia, quae in vocabulis insunt aut cum his penitus conjun-

---

verborum et universae sententiae significatum saepe nos inducit. — Quod doctrina sua perample docuit J. Marouzeau (*Traité de stylistique latine*[4], —in 1.ª et 2.ª libri parte— pp. 1-196), et scitissimis commentariis perfecerunt Damasus et Amatus Alonso —quorum opera supra memorata sunt—, iisque addantur L. Rubio, *La lengua y el estilo de Virgilio, Actas del III Congreso español de estudios clás.*, t. I, Madrid [CSIC] 1968; W. F. J. Knight, *Virgilio romano*, pp. 351-365; B. Olivière, *La musique d'un passage de Virgile*: *En.* 2,250-267 [*Études classiques*, 18 (1950) 196-208]; D. Gonzalo Maeso, *La onomatopeya o armonía imitativa en Virgilio, Actas del II Congreso esp. de estudios clás.*, t. II, pp. 334-341. — Ex quibus colligitur nos opinioni cl. viri V. E. Hernández Vista, in re proposita, non suffragari; ejus autem sententia exponitur in libro *Figuras y situaciones de la Eneida* et in aliis scriptis in commentariis *Estudios Clásicos* editis: 10(1966) 319-339, 12(1968) 497-514, *Actas del III Congreso esp. de est. clás.*, t. II, pp. 342-349. Cujus sententia de stilistica aliquatenus in trutina examinatur a clmo. v. Fco. Rodríguez Adrados, *Lingüística estructural*, t. 2, Madrid [Gredos] 1969, pp. 631-632. — Ceterum verba clmi. v. Knight in quaestione enodanda perspicua admodum et cumulata nobis videntur: «Non è difficile supporre che nella mente dei poeti e dei lettori familiari con la poesia, i significati siano collegati ai suoni e ai ritmi e, quando non mancano le circonstanze volute, i significati esotericamente portati ne emergano. Il suono rappresenta il significato, come la moneta il valore, che può rappresentare a sua volta cose diversissime; ma l'oggetto desiderato si può anche comprare, come anche il significato voluto emerge dal suono quando vi contribuiscono gli opportuni richiami... Il suono... è un passo nella direzione voluta per raggiungerne l'espressione. È, ad ogni modo, gradevole in sè; infatti, in Virgilio, tutto il complesso di ritmi, suoni, pensieri e sentimenti è quasi sempre perfettamente armonioso, ciascuna parte cooperando alla formazione di questo insieme, tanto che è difficile credere non sia il risultato della loro unione» (*Virgilio romano*, pp. 354-355). — Quae tamen ut penitus pleniusque percipiantur, Damasum Alonso (cfr. *Poesía española*) aequo animo legere oportet.

guntur, callide digerit eaque adhibet non velut partes totius juxta positas, sed ut rem unam integramque efficiunt: id est poëma aut locum singularem quem in mente habebat.

Vergilii verba nobis formam praebent aequilibritatis perfectam: cum in singulis partibus —quae aut verba sunt aut verbis significantur— comprehenduntur non tantum materies seu voces, sed et res significata —in qua species et forma operis litterarii constant—. Nam scriptorum classicorum forma in eo consistit ut omnes partes, quae aliqua perfectione intinguntur, universam compleant rem perfectam: nulla enim ex singulis minimisque perfectionibus in opere litterario neglegitur aut evanescit.

8. Ergo Vergilii labor *in vocabulis contexendis* vel maxime constat: ut enim gemmarius smaragdum perpoliat et quadret, gemmam in manibus primum habeat oportet quo illam artificiose fabricetur, ita prima materies et vis in verbis inest, quae poëta mente concepit et foris prolatis vocibus exprimit. Quare singula ac definita seligit vocabula in sententias et versus inducenda.

Hinc —ut aliquas memoremus notas et virtutes quibus *vocabula* in versu ornantur— a) Vergilius voces adhibet quibus syllabae productae insunt, iisque rei pondus et gravitatem designat:

*aut hoc inclu si lig no occul tantur A chivi* (v. 45);

ergo ex versu spondeorum pleno significatur equum pondere armorum et militum magnopere gravari.

b) Aut vocabula usurpat quibus, ex consonantium repetitione aut ex eorum complexu, in rem signandam subtilius inducimur:

*Laocoon ardens summa decurrit ab arce* (v. 41);

in quo versu iteratur consonans gutturalis *c*: *-co-*, *-cu-*, *-ce*, et *r*: *ar-*, *-urr-*, *ar-;* est praeterea consonantium complexus: «a *rd* e *ns s* u *mm* a decu *rr* it ab a *rc* e», et allitteratio: *ar- ar-*. His autem subsidiis —una cum spondeorum copia— Poëta celeritatem Laocoontis ab arce descendentis cum re ponderis et gravitatis plena conjungit et opponit.

c) Aut vocibus utitur in quibus vocalium et consonantium con-

junctione soni amplificari videntur et intimus numerus et modulatio in versu enasci:

*insonuere cavae gemi tumque dedere cavernae* (v. 55);

ubi consonantes nasales *n* et *m* vocalibus *i u e* conexae [*in-*, *nu-*, *mi-*, *-um*, *-nae*] sonum reddunt obscurum strepitus seu gemitus repercussi; quibus altior tribuitur vis ex gutturalium (*ca-*, *ge-*, *-que*, *-ca*) et dentalium (*-tum*, *dede-*) copia, ex figura etymologica: «*cav-* ae *cav-* ernae» —in quibus inest etiam quaedam assonatio (*-ae -ae*)—, ex consonantia in verbis «insonu *ere* ded *ere*», ex iteratione litterae *e* —in quam omnes voces etiam desinunt—. Ut autem sonitus seu 'gemitus' ille distinctius configuretur et vox suo repercussa sono diutius amplificetur, versus metro dactylico plene deducitur. —Animadverte nunc qua suavitate —ut taenia sinuosa et fluctuans— in versu vocales defluant:




d) Syllabis brevibus levitas, tenuitas, celeritas rei signantur: ut in versu superiore *insonuere...*: in quo, cum sit dactylicus, syllabae breves abundant; conferatur etiam versus 52:

... *Stetit illa tre mens ute roque re cusso.*

e) Harmoniā 'imitativā' Poëta voces ita disponit ut ex vocalium et consonantium unione aut iteratione rei aspectum et sonum imitari videatur:

*contorsit. Stetit illa tremens uteroque recusso* (v. 52):

duae res simul conspiciuntur et uno momento, visu et auditu, factae percipiuntur: hasta aëra findit: *contorsit* (hastam); in ventre equi infigitur: *stetit illa;* ejus fremitus —dum ibi stat— auditur: *utero*(que) *recusso.* Ut autem res ipsae quodam modo videantur et audiantur, consonantes iterantur: *t t, t t t, t, t, r, r, r, r, s, s, s, ss, c, c, ll;* praeterea consonantes arto complexu junguntur: *nt, rs, t st, ll, tr, ns, ss;* et in extremis verbis soni obscuri —qui in vocalibus *e e, u e o e, e u o* insunt— perpetuo referuntur:

iisque omnibus adjumentis vox repercussa miro modo conformari videtur atque sollertissime praeparatur ut, adhibita *concatenatione tenui,* in sequentem versum (vide supra, *c*), numerossime ad aures cadat.

9. Tandem, verbis apte dispositis ex arte metrica efficitur *versus*: in quo praecipua tantum consideremus:

Maxima vis sententiarum Vergilii in composita hexametri struendi forma ponenda est; quare: a) Vergilius, mira arte ductus, ita hexametrum componit ut perfectum assequatur numerum, atque aequalem versus tenorem seu cursum —quem superiores poëtae maxime excoluerunt— vitat et in ampliorem ambitum perducit. — Ita in episodio Laocoontis sententiae non uno tantum versu continentur, nisi res adsit conspicua et notanda (v. 49) aut in versibus ut sit variatio (v. 53) vel quaedam remissio (v. 56).

b) Vergilius periodum —quae intime cum versu conectitur— ita struit ut continenti tenore seu cursu fluat atque additis aliis sententiis evolvatur —potius conexione aut juxta positione usus quam sententiarum subordinatione—. Quae in Laocoontis oratione liquido patent; conferantur breves sententiae et in primis quae particulis *aut... aut...* continentur.

c) In componendo autem versu et periodo variationem curat et mobilitatem;

d) «versum aureum» moderate adhibet:




e) accentus convenientia cum ictu (seu arsi) praesertim in 4.º pede —id est *homodina*— certis tantum de causis utitur:

*fabricáta est* *machina muros* (v. 45)

*ingéntem* *viribus hastam* (v. 50).

f) *Concatenationem abruptam* aliquando inducit —quae est vocis translatio in primam proximi versus sedem: eaque vox a superioris versus sententia pendet: «uteroque recusso / *contorsit*—. Stetit illa tremens» (v. 52): qua collocatione actio verbi (*contorsit*) conspicua admodum redditur, atque pugna illa —repugnantiam dico—, quae inter primum et alterum verbum (*contorsit* — *stetit*) totiusque versus sensum intercedit, magnopere eminet. In hoc autem versu *concatenatio* est *abrupta*[6], in sequenti vero (v. 53) *tenuis* seu *levis* est: «uteroque *recusso / insonuere cavae*»...

g) Singulari utitur concinnitate —quam *bimembrem* vel *bipartitam* appellemus— in qua sensus plenus inest in unoquoque hemistichio:

*aut aliquis latet error* // *equo ne credite, Teucri* (v. 48);
*Trojaque nunc staret* // *Priamique arx alta maneres* (v. 56);
*inspectura domos* // *venturaque desuper urbi* (v. 47).

h) Vocum inversionem et disjunctionem perscienter tractat: iisque praestantiam aut subtilitatem vocabulis tribuit aut concinnitatem, et numerum in versu exquirit. Ex *inversione* autem vocabula, quae ex syntaxi alteram tenerent sedem, priore loco collocantur; ex *disjunctione* vero adjectiva, in primis, a suo substantivo, interjecta aliqua voce, separantur.

Quas orationis latinae qualitates si definitius explicemus et episodio Laocoontis aptemus, haec animadvertimus:

1) praestant voces et praesertim adjectiva cum initio versus invertuntur aut separantur:

«*Primus* .............. Laocoon» (v. 40-41);

---

6. Nunc in explicanda *concatenatione* immorari non possumus; speramus fore ut alias de re agamus. Valde tamen id expediret cum scriptores neque de nomine neque de re conveniant; quae securius teneas, apud Damasum Alonso (*Poesía española*[5], pp. 65, 68 n. 8, 69 n. 8), F. Lázaro Carreter (*Diccionario de términos filológicos*, s. v.), R. De Balbín (*Sistema de rítmica castellana*[2], Madrid, Gredos, 1968, pp. 202-218: *el encabalgamiento*) invenies. Hanc tamen definitionem tibi proponimus: *Concatenatio* est illud subsidium stilisticum quo sensus unius versus in *initium* sequentis protrahitur ibique consistit (*c. abrupta*), aut quo sensus unius versus in alterum consequentem producitur et in eum quasi equitare videtur: quo utriusque rigiditas temperatur (*c. tenuis*). Quod si intimam concatenationis naturam inspicias, concatenatio erit versuum conformatio qua syntactica verborum colligatio abrumpitur: nam voces quae una continentur sententia excedunt unitatem versus, et ideo inter moram seu pausam metricam et syntacticam oritur discrepantia.

2) cum sejunguntur et sunt in caesura:

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| «*miseri* | // | ........... | cives» | (v. 42), |
| «*validis* | // | ........... | viribus» | (v. 50), |
| «*curvam* | // | ........... | alvum» | (v. 51), |
| «*cavae* | // | ........... | cavernae» | (v. 53); |

3) ex singulari vocis vi et loco;

... «Priamique arx *alta* maneres» (v. 56).

Ratio autem inversionis in eo collocanda est quod voces quae ex syntaxis praeceptis conjungi solent et alteram vocem consequi primam, ordine invertuntur; praestantia vocis («*Primus*... Laocoon») ex rei novitate et admiratione, qua afficimur, enascitur.

Ex disjunctione prior vox quae separatur et praecedit in mente retinenda est donec altera subsequatur; animus autem in priorem vocem intenditur; quae tamen cum sit qualitas in universum, cum substantivo concordare debet —quod vehementer exspectamus—: et animi attentio in illud (substantivum) magnopere convertitur: *cavae*... CAVERNAE; at illa *cavitatis* qualitas, quae prima apparet, animum concitat, cum verbi actio non a rei qualitate (ab *adjectivo*) peragatur sed a subjecto cui qualitas inest; ideo admiratione afficimur et subjectum —id est substantivum *cavernae*— vehementer exspectamus.

i) Animum in primis in illum singularissimum contextum adverte quo bina adjectiva cum binis substantivis sinuoso quodam tractu colligantur: eaque fluitante colligatione «versus aureus» saepe componitur:






in quibus duplici separatione et colligatione orationis tenor bis infrangi quodam modo et abrumpi videtur:




hoc autem contorto ac sinuoso orationis tenore —insequentibus versibus bis repetito— Laocoon, orator, reconditas hostium machinationes —dum digito «lignum» - «machinam» monstrat— implicata quoque sua dicendi ratione aperire quodam modo videtur. — Argumenta autem sua et animi perspicientiam versu 47 cumulatissimā verborum significantiā confirmat: nam consonantia (*-tura* - *-tura*) et congruentia ictus cum accentu atque extrema syllabae *-ur* iteratione (*:urbi*) —qua et priores syllabae novo mallei ictu repercuti videntur—, una cum litterae *u* subobscuro sono, quid taetrum Trojae obventurum significatur (cfr. locum similem ad trutinam examinatum a D. Alonso, *Poesía española*[5], p. 329).

Alia haud parvi ponderis sunt in versu Vergiliano, quae una voce —id est ejus dicendi genere seu *stilo*— comprehenduntur. — Quae tamen diximus, ad rem nostram declarandam satis admodum sunt.

*Conclusio.*

Vergilius igitur cum carmen nobis tradit —bucolicum, georgicum, epicum aut eorum narrationes et episodia— una cum verbis ejus

mentem, animi affectionem, virtutes ac laborem phantasiae, versum et quae eum ornant, nobis committit; iisque omnibus —sua ipsius cogitata in nos effundens— alte agit.

Itaque conandum est nobis ut quae Vergilius mente affabre elaboravit ac versibus mandavit, plene capiamus: quid in cogitatis, quid in verbis —ex syntaxi, ex stilistica, ex versu— significanter positis, quid in motibus animi exprimendis nobis significare voluerit. Ad illud momentum accedere quodam modo debemus quo Poëta opus suum confecit: ut non tantum ejus mentem interpretemur et verba plane enodemus, sed ut illam quoque delectationem, qua ille perfusus est, experiamur. Nam, ut quis symphoniis Beethoven delectetur, musicam in libro expressam legat oportet et organum simul scite pulset, sic et verba legamus Vergilii, sed animum simul disponamus quo venustas, quam ille in versibus componendis percepit, in nos defluat. Scintillas illas —versus dico— prudenter agitemus in easque insufflemus ut recondita et quasi emortua vita, opera nostra et Vergilii virtute, iterum reviviscat: quo et suavissimus Poëta, dum ejus carmina legimus, praesens apud nos adhuc fiet.

JOSEPHUS M.ª MIR, C. M. F.
In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor
Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197, ROMA.

# DESCENSUS AD INFEROS*

Hospitii tenuit miserum me lectulus olim:
aeger eram, noctu cruciabant algor et tussis
me male, coxendix quoque perdoluit, medicus quam
transfixit modo acu nuper latices validos ut
funderet in corpus delentes sontica viri.
Et febricosus tunc neque dormivi neque prorsus
experrectus eram, jacui sed semisoporus.
Ultimus anni mensis erat, tristis madidusque.
Nondum tarda dies hebetarat sidera noctis.
Ecce, inopinanter, ceu sudo fulgura caelo,
vir stetit ad lectos, indutus veste subalba.
Nasus et ora rubent vino nimio repetito,
et spirans redolet tetri nidore tabaci.
Parce novacula cui fuit usui. Mutit: avete.
Ast ego surrexi, cito me imposuit manuali
carrucae, lodix arcebat frigora mollis.
Ei mihi, quo rapior? sudor gelidus rigat ora.
Lente tum tacitas creperas transivimus aulas
desertas, sed fuit descensus pegmate velox.
Obstupui: num tempus adest, jam itur ad ima?
Et tremula superos nequiquam voce precabar.
Heu! patet oecus opacus: candor noctivagae sic
pallidulus lunae urbes ruraque lustrat ubique.
Summis postibus hic fuit littera scripta vetusta.
Quamvis prae tenebris non hanc discernere quivi,
stridens dentibus intrans omnem deposui spem.
Sic Florentini cecinerunt carmina vatis.
Cum lacrimisque preces non dignas ilicet edo,
inter oves ut sint loca, ne cremer igne perenni.
Regna gemens flens ingredior nunc horrida Ditis.
Vestibulo sedere viri queis tempora cana
resplendent senio, nullus rubor inficit ora.
Cumque labris barbam macularat candidus humor.
Hic dormit leviter, vel mussitat, oscitat ille.
Et prolixa humero dependent pallia trita
turpia sarturis male varis artubus haerent.
Amissisque suis globulis stant stamina rupta.
Praestolor breviter, versor penetralibus ipsis.
Hic color unus inest rebus, sunt galbida cuncta,
galbidum enim lumen spargit laquearibus altis
lychnus pendens. Est mediis conclavibus ingens
machina nescio quas fabricata ad carnificinas.

---

* Poematium de investigatione radioscopica
27: cf. Dante, Divina Commedia, Inf. III,9
29: cf. hymn. «Dies irae»

Quamquam nec vidi hic Catalanum nec Loderingum,
damnatos alios adspexi transgredientes
lente, quos plumbosa premunt sua velamenta.
Spissa manus angunt digitabula plumbea valde,
lurida vitris offuscantibus ora teguntur.
En, maga Colchica conspicitur, quae dira venena
apparat. Hic adstat tunicis induta recinctis,
legibus arcanis depromit pulveris albi
libras sex apotheca. Aequali pondere grumos
ingerit in cyathos mollitque adspergine aquarum.
Mox agitabula fert manualia, miscuit ima
summis absque mora: sic sucos concoquit acros.
Machina, quam timui, me terret nunc vehementer.
Collocor huc, mihi vae! leviterque premuntur et artus
pectora terga simul. Caligo mersitat oecum.
«Motus et spiramina supprime.», sic jubeor nunc,
parva micat scintilla, auditur perbreve murmur.
Undique tum subitanea lux electrica fulget.
Apparet medicus positis gravibus lagumentis,
cujus me subito tranquillat blanda loquela:
«Ne timeas, morbus non pergravis esse videtur.
Sic examina me radiis confecta docebant
pulmonum cordiisque tui, tu mox revalesces.»
Collegi mentem vitae quasi redditus almae,
effetus subrisi laetam concipiens spem,
Collaudansque Deum fauces in verba resolvo.
Res cunctas thalami sensim discernere coepi,
adgnosco medicos, aegrotos atque puellam
umbriferos latices albentes rite parantem,
castula quam vestit juvenarum more minuta,
et radioscopicum timui quod ego instrumentum.
Strenuus adstat vir: revehor gestamine eodem.

DR. GUSTAVUS WALLNER
Hansi Niese-Gasse 3
A-1190 Wien

43: cf. Dante, Divina Comm. Inf. XXIII,104
45: plumbea vestimenta: Bleischürze, lead apron, tablier plombé, delantal plomado
46: digitabula plumbea: Bleihandschuhe, lead impregnated gloves, gants plombés, guantes plomados
53: agitabulum manuale: Handmixer, beater, batteur à main, batidor de mano
71: latices albentes: Kontrastmittel, radio opaque medium, substance radio-opaque, medio de contraste
73: radioscopicum instrumentum: Durchleuchtungsapparat, fluoroscopy equipment, appareillage de fluoroscopie, utillaje de radioscopia

# BIBLIOGRAPHIA

ZLOTNICKIEGO, B. — *Lexicon Medicum.* Polish Medical Publisher, Warsaw, 1971, pp. XII-1604.

En tibi, lector humanissime, opus magni quidem ponderis magnique laboris, quod plurimorum conamina, sudores, tentamina simul continet. In eo invenies magnam verborum copiam, quae ad medicinam artem pertinent, duplici ratione proposita: in prima parte (pp. 1-1242) ordine litterarum in sex columnis verba anglice, russice, gallice, germanice, latine, polonice in forma exaplarum disponuntur; in secunda parte linguae uniuscujusque verba hac ratione ordinantur; Index russicus (pp. 1243-1318). index gallicus (pp. 1319-1390), index germanicus (pp. 1391-1474), index latinus (pp. 1475-1550), index polonicus (1541-1604). In hac altera parte non invenitur index anglicus, quia in prima parte verba omnia ordinantur juxta anglicam linguam, quorum verba primam columnam occupant. Hoc opus provehente consociatione omnium gentium UNESCO dicta paratum atque editum, opera multorum virum in scientiis biologicis, in arte medicina, in physicis disciplinis peritorum nititur, quorum studia cum laboribus eorum qui linguae latinae impensius dant operam conformata, nobis praebuerunt fructus eorum laborum et monumentum peremne lexicographiae aetatis nostrae magni quidem commodi.

TALADOIRE, B. A. — *Térence. Un Théâtre de la Jeunesse.* Paris, Société d'édition "Les Belles Lettres", 1972, pp. 140.

Auctor breviter sed acute de Terentio disserit atque de ejus comoediis; primum quaenam sit inter Terentium et Plautum differentia seu discrimen; deinde virtutes singularum comoediarum Terentianarum inquirere curat; denique agit de propria Terentii novitate dramatica, denique de fortuna Terentii apud aequales et in posterum. Ut est in quaestionibus Terentianis maxime peritus, auctoris judicia recta sunt firmaque. Omnia placent, praesertim quae de Terentio et "Corneille" afferuntur. Hieronymo Carcopino et Joanni Bayet, magistris clarissimis, opus dicatum prodiit.

KLAUS ARNOLD. — *Johannes Tritemius* (1462-1516): Quellen und Forschungen zur Geschichte des Bistums und Hochstifts Würzburg. Band XXIII. Kommissionsverlag Ferdinand Schöningh, Würzburg, 1971, pp. XI-319.

Desiderabatur opus biobibliographicum Johannis Tritemii, scriptoris ecclesiastici, qui renascente aetate claruit. Scientiae semper cupidus, "quidquid in mundo scibile est, scire semper cupiebat". Multa scripsit, monastica imprimis, pia, theologica, historica, arcana. In prima hujus voluminis appendice (pp. 228-252) habes omnium operum Tritemii conspectum simul et fontes. Postea in appendice altera (pp. 253-275) ejusdem epistularum indicem ordine temporis quo scriptae sunt digestum invenies. In appendice tertio nonnulla evulgantur de imagine formaque corporis hujus tanti scriptoris germani. Sequuntur postea (pp. 182-319) nomina locorum ubi codd. et edd. servantur operum praecipuorum, fontes quibus auctor usus est, Registrum, sic dictum, rerum et personarum omnium, de quibus directe vel obiter actum est in totius rei expositione. Quae expositio continet fere omnia quae ad vitam et ad scripta Joannis Tritemii sese referunt, accurate investigata, recto judicio ad

trutinam revocata, diligentes exposita atque testimoniis et fontibus apprime confirmata. Opus ergo est magni momenti omnique laude dignum.

THEILER, W. — *Untersuchungen zur antiken Literatur*. Walter de Gruyter, Berlin 1970, pp. 580.

In hoc volumine auctor collegit novem et viginti disquisitiones seu commentarios, prius in scientificis ephemeridibus vulgatos, qui omnes ad litteras graecas et latinas pertinent. In his disquisitionibus quaestiones dilucidantur majoris momenti de Homero, de Pindaro, de Platone, de Aristotele, de Theophrasto, de Polybio, de Sallustio, de Horatio, de Plotino, de Ammonio et Porphyrio, de Augustino et de Origine. Opus est omni laude dignum et copia doctrinae et claritate expositionis, necnon et auctoritate documentorum auctorumque. In fine indicem invenies nequaquam simplicem, ser luculentum.

MARQUES LEITE. — *Le Grec et le Latin*. Livraria Leonardo de Vinci, Av. Rio Branco 185, Loja 2. Rio GB - 20000 Brasil.

Professor Marques Leite Flumine Januario, in Brasilia, hunc fasciculum nobis misit subnotatoribus *Palaestrae Latinae* offerendum. Libentissime quid in eo memorabile contineatur ostendimus. Prima quaestio in eo enodata haec est: cur accusativus in neutris nominibus cum nominativo concordet; altera quaestio est de reduplicatione in formis verbalibus praeteriti perfecti; tertia quaestio est de metrica latina, quae, si certe quantitativa est, non negligit accentum; quarta et ultima quaestio de verbis non recte dictis deponentibus. Auctor ratione scientifica varias quaestiones exponit latinam linguam ad graecam referendo, sententias doctorum accurate ad trutinam afferendo, doctrinamque ab eo propositam magna exemplorum copia confirmando. Non desunt menda, quae lamentabili ratione irrepserunt; sed indulgendum est auctori, qui praeter ea multa in hoc fasciculo nobis praebet utilia, immo optima, de rebus ab ipso tractatis.

GOODCHILD, R. G. — *Kyrene und Apollonia*. Raggi Verlag, Zürich, 1971, pp. 200 et 157 imagines.

In collectione vulgo dicta "Ruinenstädte Nordafrikas" hoc volumen est quartum, in quo invenies praecipuas earum rerum quas auctor in variis archaeologicis atque scientificis itineribus reperit vel notatu digna invenit. Ruinae recens effosae in civitatibus, Cyrenis nempe et Apollonia, multa antiqua elucidant, sed quaestiones novas aperiunt, quas quidem autor enucleare curat argumentis fultus et testimoniis. Opus, quod definitium reliquerat Professor Goodchild, edendum curavit Sander Stucchi, idque multis imaginibus ditavit, quae rem in eo enucleatam illustrant.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

DE FRANCO, H. — *"Anna soror"* et *"Mearum peregrinationum molestiae"*.

Grato animo erga Prof. H. de Franco litterarum latinarum latineque scribendi generis studiosissimi cultoris quod, praeter jam alios libellos nobis antea missos, his duobus recentibus nos donavit. *"Anna soror"* libellus est qui publica laude dignus in *"Certamine Capitolino"* XXII habitus est. *"Mearum peregrinationum molestiae"* libellus quoque est cui publicae laudis honor in *"Certamine Vaticano"* XIV tributus est. Uterque libellus a societate quae *"Movimento Europeo per la difesa del latino"* inscribitur, Catinae in lucem editus est. In tabulis religiose recondimus ut opportune auctoris jam venia lectoribus degustandos vulgemus.

Alsina, J. — *Tragedia, religión y mito entre los griegos.* Ed. Labor, Barcelona, 1971.

J. Alsina, in Universitate Barcinonensi clmus. Professor, in litterarum classicarum dicione peritissimus ab omnibus aestimatur in iis praesertim quae ad religionem graecorum et romanorum spectant. Cujus rei argumentum exstat validissimum hoc opus in lucem vulgatum, quod auctor in tres dispertitur partes juxta indicem voluminis qui ita inscribitur: "Tragoedia, religio, mythus apud graecos". In prima parte (DE SENSU TRAGOEDIAE GRAECAE) Prof. J. Alsina sensum tragicum apud graecos expromere nititur eo tamen consilio ut elementa illa sociologica et ideologica patefiant quae jam inde ab ortu in evolvendis litteris graecorum tragicis exstiterunt: quantum tragoedia graeca valuerit, praecipua momenta visionis tragicae apud Aeschylum, sensus tragoediae sophocleae, discrimen mundi graeci saec. V a. Chr. n. exeunte, sensus Euripidis tragoediae. In secunda parte (RELIGIO AC RELIGIOSITAS HELLENICA) religio antiquorum graecorum adumbratur; religio et regula morum in poematis homericis; duae annotationes de pythagorica et orphica doctrina; Socrates, Plato, veritas; religionis hellenisticae proprietates; philosophia religiosa cultus hellenistici ac romani; religiositas in Imperio romano. Tertia demum parte (QUAESTIONES ATQUE SPECIES MYTHI GRAECI) quae sequuntur pertractat auctor: quid de religione ac mythologia graeca sentiant recentissimi investigatores; Helena Trojana seu cujusdam mythi historia; Danaidum mythus annotationibus illustratur; en figura seu species mythica: Clitemnestra. Opus, quod ex lucubrationibus vulgatis in plurimis commentariis periodicis conflatur, novum tamen jure aestimandum est, cum auctor funditus omnia argumenta miro quodam unitatis sensu accuratissime retractaverit et ad recentissimam de re aptaverit bibliographiam.

Vázquez de Parga, L. — *Tractatus de ludo Scacorum.* Edic. facsímil. Ministerio de Educación y Ciencia, Dirección General de Archivos y Bibliotecas, Madrid, 1970.

Pulcherrimum sane opusculum lectoribus commendamus quod "Tractatus de ludo Scacorum" ("Tratado de la ajedrez") inscribitur. Opus ornatissime editum est a Ministerio Institutionis et Scientiae; ejus quoque praeviam annotationem seu prooemium, textus latini transcriptionem, interpretationem hispanicam L. Vázquez de Parga scitissime exaravit. In praefatione historiam breviter adumbrat auctor quo pacto ex Italia in Hispaniam usque ad Bibliothecam Nationalem pervenerit opusculum; parvo volumine descripto, de possibili manu scripti origine agitur deque opusculi indole ac fine: quid sibi proposuerit auctor, ita ut, potius quam verus de ludo scacorum, de scacorum significatione morali et castrensi eorumque motibus tractatus videatur; L. Vázquez de Parga "Tractatum de ludo Scacorum" cum opere a Jacobo de Cessolis exeunte saec. XIII conscripto confert; quocum etsi non nullae videantur similitudines, autumari non licet Tractatum nunc editum quandam memorati opusculi tantummodo summam esse. Introductione peracta (p. 11-25), textus latini transcriptio, accurata interpretatio hispanica (p. 28-87), necnon exemplum photographicum totius codicis insequitur, quo primaeva manu scripti venustas ac forma redintegratur cum pulcherrimis litteris gothicis et quindecim minutis imaginibus vivide coloratis. Maximi momenti ducimus editionem sive quod ea opus nondum editum in lucem prodit, sive quod animus hominum medii aevi eorumque latine dicendi genus mediaevale quoque ostenditur.

WEDGE, F. — *Intenta tener buenos hábitos*. Ed. Studium, Madrid, 1965, pág. 55.

WEDGE, F. — *Intenta ser alegre*. Ed. Studium, Madrid, 1969, pág. 65.

WEDGE, F. — *Intenta vencer el miedo*. Ed. Studium, Madrid, 1970, pág. 56.

WEDGE, F. — *Intenta ahora mismo*. Ed. Studium, Madrid, 1970, pág. 59.

WEDGE, F. — *Intenta ser valiente*. Ed. Studium, Madrid, 1970, pág. 58.

WEDGE, F. — *Intenta ser agradecido*. Ed. Studium, Madrid, 1970, pág. 56.

ORDÓÑEZ, J. — *Intenta vencer la timidez*. Ed. Studium, Madrid 1970, pág. 165.

En tibi, lector humanissime, quae officina libraria "Studium" inscripta vulgavit opuscula, quorum sex prima clma. in Statibus Americae Foederatis paedagogiae magistra Florentia Wedge exaravit; ultimum vero seriei Dctor. Jesus Ordóñez Acín conscripsit. Eorum omnium aliquam notitiam afferamus oportet:

*Opusculum primum* (*"Intenta tener buenos hábitos"*). Nemo non videt quam facile sit vestem veterem vel calceos veteres deponere novosque induere; quis contra flocci non facit, juxta Pauli sententiam, hominem exuere veterem ad novum induendum? Hic libellus non parvo erit adjumento iis qui nimis inordinatis animi motibus indulgentes malas consuetudines aliis commutare bonis innituntur.

*Alterum opusculum* (*"Intenta ser alegre"*). Hoc libello auctrix ostendere contendit quae mala ex tristitia quaeque tamen bona e laetitia exoriantur; ita paulatim e maestitia in clarissimam gaudii dicionem ingredieris. Nostra tamen aetate hominibus laetantibus opus est qui hominum genus vera laetitia referciant atque jucunditate.

*Tertium opusculum* (*"Intenta vencer el miedo"*). Eo certe consilio hic libellus scriptus est ut homines metum melius intellegentes vehementius quoque ad eum superandum concitentur. Hujus opusculi ope cum non nullis vel timoribus tranquille vivere aliosque vincere edisces, ita ut metum non inimicum sed amicum tandem efficias.

*Opusculum quartum* (*"Intenta ahora mismo"*). Praestantissimum in hominum vita unamquamque rem facere tempore opportuno. Tempus enim praesens pretiosissimum nobis est cum unum tantum sit in nostra potestate: praesentem ergo diem praesentesque horas vivamus oportet quin tempore neque praeterito neque futuro excruciari patiamur.

*Quintum opusculum* (*"Intenta ser valiente"*). En liber de virtute, cujus auxiliis animi fortitudinem nancisceris; hoc enim opusculo perspicies quanta tibi virtute opus sit ut adversis vitae rebus obsistas omniaque impedimenta, quantum in te est, superare valeas.

*Opusculum sextum* (*"Intenta ser agradecido"*). Rectissime ille dixit gratam beneficiorum memoriam habere nostris quidem temporibus "virtutem esse oblitteratam". Quam ob rem F. Wedge homines adhortatur ut propter omnia sive corporalia sive spiritualia praesentia praeterita futura, memoriam animumque, praesertim Deo, praestemus, cui omnes nos sumus debitores.

*Ultimum opusculum* (*"Intenta vencer la timidez"*). Estne possibile devincere timiditatem? Cum psychologia tum experientia testantur hominem pavidum timiditates suas desinere posse. Si tibi aliisque timidus videaris, eisdem, quamvis adversa via, utere causis quibus timidus es devinctus aliisque superioribus rationibus innitere quibus animi tranquillitatem audaciamque ad agendum acquiras. Nam sive quod es sive quod eris ab eo certe pendet quod in mente animoque habeas tecumque

in corde saepe volutes. Itaque Dctor. J. Ordóñez Ancín quadruplici quadam via qua in hoc opere utitur quamque legentibus commendat, homines timiditatibus pervictos quam plurimum adjuvare poterit ad eorum animos levandos et in virtute sustinendos.

Centaur Books, LTD. — *The Latin Calendar for 1973.* Ed. Centaur Books Ltd., High Street, SLOUGH, Buks, England, 1972.

Operae pretium est lectoribus nostris ante anni novi exordium novum commendare Calendarium Latinum quod proximo anno 1973 respondet. Notitiam aliquam praebeamus oportet hujus recentissimae editionis. Ut superioribus annis in praesens Calendarium Latinum duodecim habet paginas in quibus unusquisque apparet mensis imaginibus a G.C. Bland depictis pulcherrime exornatus. Hoc novi in eo quoque notamus quod hujus modi imagines versibus ovidianis illustrantur e Metamorphosibus desumptis juxta mensium ordinem chronologicum: CADMUS (m. jan.), DAEDALUS ET ICARUS (m. febr.), ECHO ET NARCISUS (m. mart.), MIDAS (m. apr.), MERCURIUS ET ARGUS (m. maj.), DAPHNE ET APOLLO (m. jun.), PHAETONTIS QUADRIGA (m. jul.), MEDEA ET AESON (m. aug.), ERYSICHTON (m. sept.), BACCHUS (m. oct.), POLYPHEMUS ET GALATEA (m. nov.), PERSEUS ET PHORCIDAE (m. dec.).

Drinkwater, F. H. — *El problema de la existencia de Dios.* Ed. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 104. Ptas. 60.

F. H. Drinkwater, clmus. catecheseos institutor anglicus, opinionem illam confutare contendit scientiam et religionem necessario inter se confligere, totis viribus ostendens veritatem aliquid esse aliud magis quam probatio quaedam mathematica. Quapropter, trito simplicique sermone quamvis validis argumentis praedito, quid sit Deus primum exponit; deinde quem ad finem nostra in terris vita protendatur quodque munus in ea habeat malum; denique quid Deus juxta revelationem christianam videatur. Apprime accurateque exaratus liber legentibus magno erit emolumento; qua re vehementer opus commendamus.

Bommer, J. — *La oración del cristiano.* Ed. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 116. Ptas. 60.

Aetas nostra nimio studio efficiendi atque alacritate in agendo laborat; quo morbo ne christianus quidem homo liberatur adeo ut in periculum saepe incidatur cogitandi necessitudinem cum Deo per amorem erga proximum tantummodo acquiri, tanquam si id unum esset signum atque pignus caritatis christianae, omni orandi necessitate praetermissa. Exercitatio autem caritatis erga proximum numquam nos de oratione eximere poterit, nam omnis sine oratione in agendo alacritas caeco sui amore laborare periclitatur. Proinde J. Bommer nobis librum affert quo hominem inducit orantem coram Deo quocum artis vinculis debet devinciri. Hoc opere, quod in quattuor capita dividitur, natura orationis exponitur una cum ejus fundamentis biblicis et theologicis; duplici orandi genere orali scilicet atque mentali enodato, non nullas in orando difficultates auctor aggreditur.

Aradillas, A. - Puente, J. — *Coeducación.* Ed. Studium, Madrid, 1970. Pág. 121.

Promiscua utriusque sexus juvenum institutio vehementissime in praesentia apud hispanos agitatur, ita ut vix inveniri possint qui propriam sententiam modo pro ea modo adversus eam non umquam patefecerint. In hac ergo exagitatissima quaestione magni momenti apud paedagogos A. Aradillas et J. Puente institutionem mixtam explicandam aggrediuntur ejus fundamenta

inquirendo, adversas opiniones exponendo atque testimonia; qua re peracta, educationis mixtae commoda ac bona sub adspectu sociologico, psychologico, paedagogico, morali, theologico vindicatur, fructus memorantur hujus modi institutionis ejusque condiciones quibus ad frugem exitumque perveniat; quid quoque parentes, quid magistri, quid periti in re atque paedagogi, quid res publica, quid demum Ecclesia de re sentiant, disertissime inquiritur.

RÜSSELL, A. — *El juego de los niños*. Ed. Herder, Barcelona, 1970. Pág. 296. Ptas. 195.

Ludendi vis et facultas, quae in pueris inest, ingenii naturaeque puerilis singulare signum habetur. Unde quantum id cognoscere paedagogos oportet, nam ludus sive ad rem paedagogicam, sive psychodiagnosticam, sive psychotherapeuticam quod spectat, maximi videtur momenti apud paedagogos. Idcirco auctor voluminis ludum investigare nititur; quod ut assequatur, intimam puerorum naturam ante oculos semper habens, magnam ludorum varietatem exponit atque interpretatur, ita ut de re quandam psychologicam rationem seu theoriam scitissime exstruat. Placet quoque bibliographia recentissima, indices rerum atque scriptorum, nec non imagines photographicae quae in extremo opere prostant; quibus omnibus opus suis satis meritis commendatur.

BLÁZQUEZ, R. - LORENTE, R. — *Canciones Sacras*. Ed. Iter, Raimundo Fernández Villaverde, 9, Madrid, 1969. Pág. 362.

Opus, quod "Canciones Sacras" inscribitur, corpus est canticorum illorum quibus hodiernae communitates christianae vehementissimo spiritu religioso permotae sunt. In hoc corpore recentissimi in primis auctores musici adnumerantur, etsi alii quoque classici minime praetermittantur. Ut musicae professores vel chororum duces melius adjuventur, maxima fuit cura apprime unumquodque canticum recensendi. Maximae utilitatis indices aestimamus, nam index universus ordinem canticorum omnium praebet prout in opere prostant; index alter alphabeticus ad quodlibet canticum inveniendum celerrima exstat via; indice tertio opera musica nuper edita memorantur; indice tandem quarto orbes quoque seu disci phonographici includuntur. Nobis nihil est dubii quin traditio musica in Ecclesia hoc opere apud hispanica lingua utentes adaugenda sit atque amplificanda.

PALACIO ATARD, V. — *Ensayos de historia contemporánea*. Ed. Iter, Raimundo Fernández Villaverde, 9, Madrid, 1970. Pág. 226.

Clmus. Professor Historiae Hispanicae nostrae aetatis in Universitate Matritensi Dctor. Vincentius Palacio Atard non nullas easque scitissimas collegit hoc opere disputationes quae prius in aliis jam commentariis periodicis ab ipso erant divulgatae. Opus maximae ducimus utilitatis iis in primis qui superiori bello hispanico investigando navant operam, praesertim cum Dctor. V. Palacio Atard res historicas nostratum summa ratione scientifica his nostris jam temporibus "sine ira et studio" pertractet. Indicem ad lectorum notitiam praebeamus: 1. *Consideraciones sobre la investigación actual de nuestra Historia contemporánea* (p. 7). *Tres ensayos sobre la bibliografía de la guerra española de 1936*; 2. *La guerra de folletos* (p. 71); 3. *Los periódicos de la guerra* (p. 93); 4. *Las "memorias" en la historiografía de la guerra. Tres ensayos sobre la historia de nuestro tiempo*; 5. *Lo español y lo europeo en América* (p. 135); 6. *Notas de nuestro tiempo en la "Pacem in terris"* (p. 169); 7. *Guerra de ideas en la España de ayer* (p. 199).

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

# PALAESTRAE LATINAE

## INDEX RERUM ATQUE SCRIPTORUM

a. 1971 et 1972

Numeri, qui post nomen auctoris indicemque materiarum primo loco prostant, numero fasciculi PALAESTRAE LATINAE respondent. Numeris autem, qui secundo consignantur loco, paginae ejusdem fasciculi memorantur.

**Disputationes praecipuae**

SANSEGUNDO, L. H. — *Apothegmata*, 213, 1.
LEPOUTRE, D. — *De numero primi hominis*, 213, 33.
FINZGAR, F. - KOLEDNIK, F. — *Desponsata*, 215, 97.
MANGEOT, N. — *Aureae sub Octaviano Augusto litterae latinae*, 216, 177.
ORTH, AEM. — *De Quintiliano*, 217, 1.
PIOVESAN, AEM. — *Quaenam Corneli Nepotis vitae adulescentibus illustrandae sint*, 217, 27.
DE FRANCO, H. — *Zizzi*, 218, 49.
WALLNER, G. — *Electrica cordis vis*, 219,131.
MARINELLI, J. — *In Johannem XXIII Pontificem*, 218, 73.
ORTH, AEM. — *De Servio*, 218, 83.
CIRESOLA, TH. — *Kariba*, 220, 145.

**Carmina**

MARINELLI, J. — *Tria Pauli VI itinera memoranda*, 213, 17.
MARINELLI, J. — *Nova caritatis itinera, IV*, 214, 63.
PAONE, R. — *Carmina*, 215, 105.
MARINELLI, J. — *Laudativi Elegi*, 216, 157.
SARMIENTO, R. — *In rerum natura miracula*, 217, 11.
CIRESOLA, TH. — *Zenonis Franciscalis Capulati sepulcrum*, 217, 23.
CIRESOLA, TH. — *Ostoria Chelidon*, 218, 59.
CIRESOLA, TH. — *"Passionis Consors"*, 219, 105.
MARINELLI, J. — *Januarius Episcopus in amphitheatro Puteolano*, 220, 159.
WALLNER, G. — *Descensus ad inferos*, 220, 177.

**Textuum commentaria**

MIR, J. M. — *Ciceronis specimina, Cato Major de Senectute I*. 214, 69.
MIR, J. M. — *Ciceronis specimina, Cato Major de Senectute III*, 215, 111.
MIR, J. M. — *Ciceronis specimina, Cato Major de Senectute, II*, 216, 165.
MIR, J. M. — *Ciceronis specimina, Cato Major de Senectute, IV*, 218, 63.
MIR, J. M. — *Ciceronis specimina, Cato Major de Senectute, V*, 219, 119.
MIR, J. M. — *Quid nos doceat Vergilius ex disciplina stilistica proposito quodam Aeneidis loco*, 220, 163.

**Commercium epistularum inter socios**

AVALLONE, R. - MIR, J. M. — 217, 19.
MIR, J. M. - MINICUCCI, A. — 219, 127.

**Varia**

MIR, J. M. — *Congressus Bucurestiensis de humanitate et latinitate*, 213, 25.
POVSIC, B. — *De Congressu Bucurestiensi et de peregrinationibus nostris*, 214, 49.
ALOISE, F. — *De Aloisio Tripepi Cardinale*, 214, 77.
MARINELLI, J. — *De re cosmonautica*, 215, 125; 217, 29.
MOLINA, M. — *IV Conventus Nationalis studiis classicis provehendis*, 216, 145.
AVALLONE, R. — *SS. Virgini Rosarii Pompejanae supplicatio*, 217, 15.
FELICI, S. — *Pontificium Latinitatis Institutum studiosis patet orbis totius*, 219, 97.
TRENTINI, F. — *Feriarum latinarum nuntius*, 219, 116.

**Bibliographia**

ADAMS, S. M. — *Sophocles the Playwrigth*, 216, 190.
ALBINI, U. — *Andocide, De reditu*, 213, 42.
ALBINI, U. — *Andocide, De pace*, 213, 42.

ALSINA, J. — *Tragedia, religión y mito entre los griegos*, 220, 181.
ALSTEENS, A. — *La masturbación en los adolescentes*, 217, 46.
ANDRÉ, J. — *Pline l'Ancien. Histoire Naturelle. Livre XXI*, 213, 40.
ANDRÉ, J. — *Ovide: Tristes*, 213, 47.
ANDRÉ, J. — *Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre XXIII*, 219, 137.
ARADILLAS, A. - PUENTE, J. — *Coeducación*, 220, 183.
ARGENIO, R. — *San Paolino da Nola cantore di miracoli*, 215, 132.
ARMELLE, P. - PSUQUEY, G. — *El Dios de Papillon*, 216, 192.
BAHNER, W. — *La lingüística española del Siglo de Oro*, 216, 191.
BARIGAZZI, A. — *Favorino, Opere*, 213, 42.
BARLOW, S. A. — *The imagery of Euripides*, 217, 43.
BARNES, T. D. — *Tertullian. A historical and litterary study*, 217, 36.
BARTH, K. — *Adviento*, 215, 141.
BAYERISCHEN AKADEMIE. — *Mittellateinisches Wörtebuch*. II Band. Lieferung 3 (13. Lieferung des Gesamtwerkes) *casalis-cereus*, 217, 36.
BAYERISCHEN AKADEMIE. — *Mittellateinisches Wörtebuch*. II Band. Lieferung 4 (14. Lieferung des Gesamtwerkes) *cereus-cirrus*, 219, 140.
BIANCHI BANDINELLI, R. — *Roma. L'arte romana nel centro del potere*, 216 in operculis.
BIBLIOGRAFIA D'ARCHEOLOGIA CLASSICA, 213, 39.
BIEHL, W. — *Euripides Troades*, 216, 186.
BIZOS, M. — *Xénophon: Cyropédie. Tome I: Livres I et II*, 216, 188.
BLANCO, V. - CAMPOS, J. — *Santos Padres Españoles: San Ildefonso de Toledo, vol. I*, 219, 142.
BLÁZQUEZ, R. - LORENTE, R. — *Canciones Sacras*, 220, 184.
BLÜHER, K. A. — *Seneca in Spanien*, 216, 183.
BO, D. — *A Persi Flacci Saturarum liber*, 213, 44.
BOELLA, U. — *Seneca: La condizione umana. Antologia dai Dialoghi, dalle Lettere a Lucilio e dalle Tragedie*, 217, 41.
BOELLA, U. — *Lettere a Lucilio di Lucio Anneo Seneca*, 213, 47.
BOMMER, J. — *La oración del cristiano*, 220, 183.
BOTERMANN, H. — *Die Soldaten und die römischen Politik in der Zeit von Caesars Tod bis zur Begrün dung des Zweiten Triumvirats*, 213, 37.
BOWRA, C. M. — *On Greek Margins*, 218, 90.
BRACCESI, L. — *Grecità Adriatica*, 218, 93.
BREGLIA, L. — *L'arte romana nelle monete dell'età imperiale*, 214, 83.
BRINK, C. O. — *Horace on poetry. The "Ars Poetica"*, 216, 185.
BUCHWALD, W. — *Platon: Phaidros*, 216, 185.
BURFORD, A. — *The greek temple builders at Epidauros*, 216, 187.
CAFFARELO, N. — *Dizionario archeologico di antichità classiche*, 217, 42.
CALLU, J. P. — *Symmaque, Lettres, tome I (livres I-II)*, 219, 137.
CALROLI, G. — *Cornifici Rhetorica ad C. Herennium*, 213, 48.
CAMP, J. - CHABANIS, CH. — *Los jóvenes de hoy*, 215, 141.
CAMPOS, J. - ROCA, I. — *Santos Padres Españoles: San Leandro, San Fructuoso, San Isidoro, vol. II*, 219, 142.
CAMPS, W. A. — *An introduction to Virgil's Aeneid*, 215, 137.
CANCELLI, F. — *Marco Tullio Cicerone: Le leggi*, 214, 88.
CÁNOVAS DEL CASTILLO, J. M. — *Diálogo*, 214, 90.
CANTARELLA, R. - SCARPAT, G. — *Breve introduzione ad Omero*, 219, 141.
CAPELLANUS, G. — *Parlez-vous latin?*, 217, 39.
ÇASTAGNOLI, F. — *Topografia e urbanistica di Roma antica*, 214, 89.
CASTELLI, G. — *Tacito: Principato e Libertà. Antologia da tutte le opere*, 217, 41.
CASTELLI, G. - PECCHIURA, P. - SINISCALCO, P. — *L'Uomo e il Mondo*, 215, 138.
CASTORINA, E. — *Petronio Arbitro: Dal "SATYRICON"*: "Cena Trimalchionis", "Troiae halosis", "Bellum civile", 214, 90.
CAZDARU, D. — *Qué es la Lingüística*, 213, 39.
CENTAUR BOOKS LTD. — *The Latin Calendar for 1972*, 216, 191.
CENTAUR BOOKS, LTD. — *The Latin Calendar for 1973*, 220, 183.
CLAUSSE, A. — *La Littérature Latine par les textes*, 219, 141.
CLEMENT, P. A. - HOFFLET, H. B. — *Plutarch's Moralia VIII*, 215, 135.

COCHRANE, C. N. — *Cristianesimo e cultura classica*, 214, 88.
COLLECTION DUCROS. — *Pindare*: Olympiques, 218, 91.
COLMARINO, T. - BO, D. — *Le opere di Quinto Orazio Flacco*, 213, 48.
COLOMB, J. — *Manual de catequética. Al servicio del Evangelio*. Tomo I, 217, 46.
COMBES, R. — *Cicéron: Laelius de Amicitia*, 216, 187.
CORSARIO, F. — *Lectantii De mortibus persecutorum*, 218, 93.
COURCELLE, P. — *Late latin writers and their greek sources*, 215, 133.
CUGUSI, P. — *Epistolographi latini minores*. Vol. I: Aetatem anteciceronianam amplectens. Fasc. 1. Testimonia et fragmenta. Pag. XXII-158. Fasc. 2. Commentarium criticum. Pag. XVII-92, 215, 138.
CURTI, C. — *Due articoli eusebiani* (*"Commentarii in Psalmos"*), 216, 188.
COURTNEY, E. — *C. Valerii Flacci Argonauticon libri octo*, 214, 86.
DE ANDRÉS, R. — *Contamos contigo, Señor*, 217, 47.
DE BALBIN, R. — *Sistema de rítmica castellana*, 215, 144.
DEBARGE, L. — *Psicología y Pastoral*, 215, 142.
DE FRANCO, H. — *"Anna soror"* et *"Mearum peregrinationum molestiae"*, 220, 180.
DEISSLER, A. — *El antiguo Testamento y la moderna exégesis católica*, 215, 143.
DE LA HERA - SAIZ - INIESTA - APARISI. — *Cantando mientras El vuelve. Canciones para el encuentro y para el camino*, 217, 48.
DELARGE, B. — *La información sexual de nuestros hijos*, 219, in operculis.
DELARGE, B. — *El libro de la vida y el amor*, 219 in operculis.
DELLA CORTE, F. — *Varrone, il terzo gran lume romano*, 215, 130.
DELLA CORTE, F. — *Opuscula I*, 216, 189.
DELLA CORTE, F. — *Avviamento allo studio delle littere latine*, 218, 94.
DENIS, H. — *El sacerdote del futuro*, 217 in operculis.
DIGGLE, J. — *Euripides: Phaethon*, 217, 40.
DOMINIQUE, L. — *Vivir su verdad: "El diálogo de Sor Sonrisa"*, 214, 93.
DÖRRIE, H. — *P. Ovidii Nasonis epistulae Heroidum*, 217, 39.
DOWNEY, G. - NORMAN, A. F. — *Themistii orationes quae supersunt, vol. II*, 219, 139.
DREISSEN, J. — *Diagnóstico del catecismo holandés*, 214, 95.
DRINKWATER, F. H. — *El problema de la existencia de Dios*, 220, 183.
DROWER, S. M. — *Syria c. 1550-1400 B. C.*, 213, 45.
DUBOIS, M. — *Generaciones en conflicto*, 215, 144.
DUFF, J. D. — *D. Ivnii Ivvenalis Saturae VIX*, 216, 186.
DUMEZIL, G. — *Los dioses de los indoeuropeos*, 217, 39.
DUPONT, L. — *De l'analyse grammaticale à l'analyse littéraire*, 217, 40.
EDWARDS, I. E. S. — GADD, C. J. — HAMMOND, N. G. L. — *The Cambridge Ancient History* (2.ª ed.) Vol. I, Part. I: Prolegomena and Prehistory, 215, 139.
EDWARDS, I. E. S. - GADD, C. J. - HAMMOND, N. G. L. — *The Cambridge Ancient History* (2.ª ed.). Vol. I, Part. 2: Early History of the Middle East, 218, 95.
EGENOLF, H. A. — *Segunda carta a los Tesalonicenses*, 214, 92.
FANADA, R. — *Cicerone. Pro Milone*, 213, 40.
FARANDA, R. — *L'Istituzione oratoria di Marco Fabio Quintiliano*, Vol. I-II, 214, 87.
FERNÁNDEZ GALIANO, M. — *Manual práctico de Morfología verbal griega*, 216, 183.
FONSECA, C. D. — *Medioevo canonicale*, 214, 85.
FONTAINE, J. — *La littérature latine chrétienne*, 217, 45.
FRÄNKEL, H. — *Testo critico e critica del testo*, 215, 132.
FRIEDLÄNDER, P. — *Studien zur antiken Literatur und Kunst*, 213, 37.
FRISK, H. — *Griechiches etymologisches Wörterbuch*. Lieferung 21 (ὕκης - φῦσα). Lieferung 22 (φύσαλος - ὤψ), 214, 88.
GABBA, E. — *Appiani Bellorum civilium liber quintus*, 215, 130.
GARCÍA-SALVE, F. — *La joven que despertó mujer*, 214, 91.
GÄRTNER, H. — *Rufus Ephesius: Quaestiones Medicinales*, 215 in operculis.
GIACONE, A. e J. — *Virgilio e Orazio. Antologia da tutte le opere*, 213, 39.
GIGON, O. — *Los orígenes de la filosofía griega*, 217, 37.

GOHL, W. — *La educación musical, hoy,* 217, 45.
GOODCHILD, R. G. — *Kyrene und Apollonia,* 220, 180.
GOTTFRIELD, G. — *Estudios de psicología pastoral,* 214, 90.
GOSZTONYI, A. — *El hombre y la Evolución. La Antropología Filosófica de Teilhard de Chardin,* 214, 91.
GRAESER, A. — *Probleme der platonischen Seelenteilungslehre,* 213, 37.
GRANARO, J. — *D'Ennius à Catulle,* Recherches sur les antécédents romains de la "poésie nouvelle", 216, 188.
GRECO, A. - MONACO, M. - CARETTONI, G. — *Aspetti dell'umanesimo a Roma,* 214, 79.
GREIMAS, A. J. — *Semántica estructural. Investigación metodológica,* 217, 38.
GRILLI, A. — *I proemi del "De re publica",* 219, 143.
GRILLONE, A. — *"Per la fortuna di Virgilio nel mondo greco: lineamenti di una ricerca" e "Vetera Christianorum",* 218 in operculis.
GRIMAL, P. — *L. Annaei Senecae operum moralium concordantia.* Vol. IV. *De providentia.* Vol. V. *De vita beata,* 215, 131.
GUAGLIANONE, A. — *Phaedri Augusti Liberti Liber Fabularum,* 213, 44.
GUERRERO, E. — *Teilhard de Chardin,* 214, 91.
GUNTHER, J. — *Jules César,* 213, 45
GUTHRIE, W. K. C. — *The Sophists,* 217, 37.
GUTHRIE, W. K. C. — *Socrates,* 217, 37.
HAFFTER, H. — *Terenzio e la sua personalità artistica,* 218, 94.
HAINSWORTH, J. B. — *The flexibility of the homeric formula,* 215, 136.
HAMMOND, N. G. L. - SCULLARD, H. H. *The Oxford Classical Dictionary,* 215, 135.
HÄRING, B. — *Shalom: Paz. El sacramento de la reconciliación,* 214, 95.
HÄRING - DELHAYE - LECLERCQ - VOGEL - NODET. — *Pastoral del pecado,* 217, 46.
HARRIS, W. V. — *Rome in Etruria and Umbria,* 218, 89.
HERDER. — *Nuevo Catecismo para adultos.* Versión íntegra, 214, 94.
HIGGINBOTHAM, J. — *Greek and Latin Literatura,* 213, 38.
HILSDALE, P. — *Oraciones de San Pablo,* 214, 91.
HOWARD, D. R. — *On the misery of the human condition,* 215, 137.
HUBERT, C. — *Plutarchi Moralia, vol. IV,* 219, 139.
HUXLEY, H. H. — *Corolla Camenae,* 213, 45.
INSTITUT FERNAND-COURBY. — *Nouveau choix d'inscriptions grecques,* 216, 185.
IORDAN, I. — *Lingüística Románica,* 218, 90.
JACQUES, J. M. — *Ménandre. Tome I: La Sammienne,* 216, 187.
JAL, K. — *Tite-Live, Histoire Romaine, t. XXXI, livres XLI-XLII,* 219, 138.
JONES, A. H. M. - MARTINDALE, J. R. - MORRIS, J. — *The prosopography of the later roman empire.* Vol. I, 215, 140.
JONES, A. H. M. — *The cities of the eastern roman provinces,* 215 in operculis.
KALINKA, E. — *Philostratos, Die Bilder,* 213, 41.
KAMPMANN, Th. — *Conocer para educar. Fundamentación psicológica de la pedagogía,* 214, 96.
KENNEY, E. J. — *Lucretius, De Rerum Natura,* Book III, 217, 36.
KLAUS ARNOLD. — *Johannes Tritemius* (1462-1516), 220, 179.
KYTZLER, B. — *M. Tullius Cicero: Brutus,* 216, 185.
LACROIX, J. — *Los hombres ante el fracaso,* 214, 95.
LAMACCHIA, R. — *M. Tulli Ciceronis, Epistola ad Octavianum,* 213, 43.
LA PENNA, A. — *Orazio e la morale mondana europea,* 214, 82.
J. LAPLACE. — *El sacerdote. Hacia una nueva manera de existir,* 214, 96.
LAUFFER, S. — *Diokletians Preisedikt,* 216, 184.
LAUGIER, J. L. — *Tacite,* 214, 88.
LAVAGNINI, B. — *La letteratura neoellenica,* 215, 129.
LEBRET, G. — *El ocio en los jóvenes,* 217 in operculis.
LECROMPE, R. — *Virgile: Boucoliques - Index verborum - Relevés statistiques,* 215, 138.
LENZ, E. W. — *P. Ovidi Nasonis Ars Amatoria,* 213, 44.
LEVI, M. A. — *L'ellenismo e l'ascesa di Roma,* 213, 47.
L'ERMA DI BRETSCHNEIDER. — *Bibliografia di storia antica e diritto romano,* 219, 137.
LIVREA, E. — *Colluto: Il ratto di Elena,* 214, 79.

LOMBARDI VALLAURI, L. — *L'Amicizia. Il "Laelius" di Cicerone e altri testi di Cicerone, Aristotele, Epicuro, Seneca, Epitteto*, 217, 41.
LONGO, V. — *Aretalogie nel mondo greco. I Epigrafi e papiri*, 213, 43.
LÓPEZ RIOCEREZO, J. M. — *Hacia una auténtica educación sexual*, 214, 93.
LOYEN, A. — *Sidoine Apollinaire, t. II, Lettres* (livres I-V), *t. III, Lettres* (livres VI-IX), 214, 80.
LLORENTE MALDONADO, A. — *Teoría de la lengua e historia de la lingüística*, 218, 90.
MAERTENS, T. — *Libro de oración. Para la vida en grupo, para la vida cotidiana*, 217, 48.
MAILHIOT, B. — *Dinámica y génesis de grupos*, 219 in operculis.
MAIURI, A. — *Ercolano e la villa dei papiri*, 214, 83.
MANNI, E. — *Lucio Sergio Catilina*, 214, 84.
MARAÑÓN BAIGORRI, G. — *Las buenas noches a tus hijos*, 213 in operculis.
MARIOTTI, I. — *Marii Victorini, Ars grammatica*, 213, 43.
MARIOTTI, D. — *Roma Imperiale: Colosseo primo attore*, 219, 144.
MARQUES LEITE. — *Le Grec et le Latin*, 220, 180.
MARSDEN, E. W. — *Greek and roman artillery. Technical Treatrises*, 215, 136.
MARSDEN, E. W. — *Greek and roman artillery. Historical Development*, 215, 136.
MASCIOTTA, M. — *Dizionario di termini artistici*, 218, 91.
MAU, J. — *Plutarchus: Moralia*, Vol. V. Fasc. 2. Pars 1, 216, 189.
MEERSSEMAN, G. G. — *Problemi di storia della Chiesa antica sec. II-IV*, 214, 84.
MÉHEUST, J. — *Stace: Achilléide*, 215 in operculis.
MICHEL, A. — *La philosophie politique à Rome d'Auguste à Marc Aurèle*, 215, 129.
MILHAN, M. E. — *Apicii decem libri qui dicuntur de re coquinaria et excerpta a vinidario conscripta*, 214, 86.
MILLOTE, J. P. — *Précis de protohistoire européenne*, 218, 92.
MIR, J. M., CMF. — *Nova verba latina*, 217, 35.
MIRAMBEL, A. — *Grammaire du grec moderne*, 215, 130.
MOLAGER, J. — *Cicéron: Les Paradoxes des Stoïciens*, 216, 189.
MONACO, G. — *Plauto: Curculio*, 215, 129.
MONTEIL, P. — *Théocrite, Idylles* (II, V, VII, XI, XV), 214, 82.
MORRIS, E. P. — *Horace: Satires and Epistles*, 215, 134.
MOUCHEL, G. G. — *La pratique du dictionnaire. La vie du vocabulaire. Livre du maitre, livre de l'éleve*, 217, 44.
MOUNIN, G. — *Los problemas teóricos de la traducción*, 217, 38.
MUGLER, CH. — *Archimède, t. I: De la sphère et du cylindre. La mesure du cercle. Sur les conoïdes et les sphèroïdes*, 214, 81.
NACHSTÄDT, W. - SIEVEKING, W. - TITCHENER, J. B. — *Plutarchi Moralia, vol. II*, 219, 139.
NAFRIA ESTEBAN, A. — *Ritmo*, 213 in operculis.
NAPOLI, M. — *Paestum*, 218, 96.
NISBET, R. G. M. - HUBBARD, M. — *A commentary on Horace Odes, Book I*, 218, 89.
NORBERG, D. — *Manuel pratique de latin médiéval*, 213, 46.
NORCIO, G. — *Omero. Iliade Canto VI*, 213, 39.
OLIVIER, J. P. — *The Mycenae Tablets* IV, 213, 39.
ORDÓÑEZ, V. — *Intenta orar cantando*, 213 in operculis.
ORDÓÑEZ, J. — *Intenta vencer la timidez*, 220, 182.
PADOVANO, A. — *El Dios lejano. El hombre moderno en su búsqueda de su fe*, 214, 94.
PALACIO ATARD, V. — *Ensayos de historia contemporánea*, 220, 184.
PALADINI, V. - CASTORINA, E. — *Storia della letteratura latina*, 213, 48.
PALADINI, V. - DE MARCO, M. — *Lingua e letteratura mediolatina*, 214, 89.
PALMER, O. H. — *Ovid as epic poet*, 215, 140.
PARATORE, E. — *Nerone* (nel XIX centenario della morte), 215, 129.
PARATORE, E. — *La letteratura latina dell'Età repubblicana e augustea*, 215, 131.
PARATORE, E. — *La letteratura latina dell'Età Imperiale*, 218 in operculis.
PARECCHI AUTORI. — *Contributi dell' Istituto di Archeologia, vol. II*, 214, 85.
PARECCHI AUTORI. — *Fons perennis*, 219, 140.
PASCUCCI, G. — *C. Julii Caesaris, Bellum Hispaniense*, 213, 42.
PASOLI, E. — *Problemi delle "Epistulae ad Caesarem" sallustiane*, 218, 96.

PASQUALE, M. — *Epitetto, Il Manuale*, 214, 83.
PEINADOR, A. — *¿Se hunde la barca de Pedro?*, 215, 142.
PELLEGRINO, M. — *Petrus et Paulus Martyres*, 213, 40.
PERELLI, L. — *Lucrezio poeta dell'angoscia*, 215, 131.
PERONI, R. — *L'età del bronzo nella penisola italiana*, 219, 144.
PETRUS, J. — *A la décourverte de l'Antiquité*, 213, 45.
PHARR, C. — *Homeric Vocabularies*, 215, 134.
PICARD, G. — *Rome*. Coll. Archaeologia mundi, 214, 81.
PIERPAOLI, M. — *Britanni, Germani, Giudei presentati e giudicati da Tacito*, 213, 39.
PIZARRO, E. — *Psicología del adolescente*, 217 in operculis.
POMEROY HARRINGTON, K. — *The Roman elegiac poets*, 214, 82.
POTTIER, S. — *Presentación de la lingüística. Fundamentos de una teoría*, 217, 45.
QUOIST, M. — *Cartas de amor*, 214 in operculis.
RADICE, B. — *Pliny Letters and Panegyricus*. Vol. I: Letters, Books I-VII. Vol. II: Letters, Books VIII-X and Panegyricus, 215, 134.
RAHNER, K. — *Siervos de Cristo*, 214 in operculis.
RANDALL, J. A. — *Plato: Dramatist of the Life of Reason*, 215, 133.
RANSTRAND, G. — *Pomponii Melae Chronologia, libri tres*, 219, 143.
REMOUCHAMPS, J. — *Culture grecque*, 215, 132.
REUTERN, G. — *Hellas*, 213, 41.
REYMOND, E. A. E. — *The mythical origin of the egyptien temple*, 215, 135.
RIBER, M. — *La mujer en la Biblia*, 217, 47.
RICKMAN, G. E. — *Roman granaries and store buildings*, 215, 141.
ROBINSON, T. M. — *Plato's Psychology*, 216, 186.
ROHLES, G. — *Romanische Sprachgeographie*. Geschichte und Grundlagen. Aspekte und Probleme mit dem Versuch eines Sprachatlas der romanischen Sprachen, 216, 184.
ROMANELLI, P. — *Il Foro Romano*, 218, 91.
RONCONI, A. - PUGLIESE, G. — *Serie dei classici greci e latini, vols. I-VII*, 213, 41.
RONCONI, A. — *Cicerone, Somnium Scipionis*, 213, 42.
RUPE, H. — *Homer Ilias*, 216, 185.
RÜSSELL, A. — *El juego de los niños*, 220, 184.
SABBAH, G. — *Ammien Marcellin Histoire, livres XVII-XIX*, 215, 132.
SAINT-DENIS, E. DE. — *Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre XXXVII*, 219, 138.
SANSEGUNDO VALLS, L. E. — *La oración de la familia*, 216, 192.
SANSEGUNDO VALLS, L. E. — *Paladio. El mundo de los Padres del desierto* (La Historia Lausíaca), 216, 191.
SANZ FRANCO, F. — *Homero: La Ilíada, vol. I*, 217, 42.
SCAZZOSO, P. — *Richerche sulla struttura del linguaggio dello Pseudo-Dionigi Areopagita*, 214, 85.
SCHIERSE, F. J. — *Carta a los Hebreos*, 214, 92.
SCHMITZ, A. — *La première catilinaire de Cicéron*, 213, 46.
SCHNEIDER, C. — *Kulturgeschichte des Hellenismus*, 213, 38.
SCHNEIDER, C. — *Geistesgeschichte der christlichen Antike*, 216, 185.
SCHNITZLER, Th. — *Los cánones y los nuevos prefacios de la misa*, 214 in operculis.
SCHÖNBERGER, O. — *Philostratos: Die Bilder*, 216, 185.
SCHULTZ, J. H. — *Tendencias de la Teología del siglo XX*, 215, 142.
SCHÜTRUMPF, E. — *Die Bedeutung des Wortes "ethos" in der Poetik des Aristoteles*, 213, 37.
SCHWANK, B. — *Primera carta de San Pedro*, 214, 92.
SERBAT, G. — *Pline l'Ancien, Histoire Naturelle, livre XXXI*, 219, 138.
SERER, V. — *Renovación de la vida religiosa*. Resortes psicopedagógicos, 213 in operculis.
SHACKLETON BAILEY, D. R. — *Cicero's Letters to Atticus*. Vol. VII: Indices to vol. I-VI, 215, 139.
SIMONETTI, M. — *La letteratura cristiana antica greca e latina*, 214, 87.
SOCIEDAD ESPAÑOLA DE ESTUDIOS CLÁSICOS. — *Coloquios sobre teoría política de la antigüedad*, 216 in operculis.
SOLMSEN, F. - MERKELBACH, R. - WEST, M. L. — *Hesiodi Theogonia, Opera et Dies, Scutum, Fragmenta Selecta*, 218, 89.
SOROKINE, D. — *Champollion et les secrets de l'Egypte*, 213, 45.

STACCIOLI, R. A. — *Modelli di edifici etrusco-italici. I Modelli votivi,* 214, 79.
STEINDL, E. — *Luciani Scytharum Colloquia,* 214, 85.
STEINER, G. - FAGLES, R. — *Homer,* 213, 40.
STIEHL, R. - STIER, H. E. — *Beiträge zur Alten Geschichte und deren Nachleben,* 216, 184.
STOCKTON, D. — *Cicero: A Political Biography,* 215, 137.
STÜNZI - BODMER - SPÖRRI - HERRMANN. — *Educación sexual,* 214, 93.
SYME, R. — *Ten Studies in Tacitus,* 214, 79.
TALADOIRE, B. A. — *Térence. Un Théâtre de la Jeunesse,* 220, 179.
TESTARD, M. — *Saint Jérôme, l'apôtre savant et pauvre du patriciat romain,* 213, 40.
TESTARD, M. — *Cicéron. Les Devoirs. Livres II et III,* 213, 40.
THEILER, W. — *Untersuchungen zur antiken Literatur,* 220, 180.
THUMMER, E. — *Pindar: Die Isthmischen Gedichte.* Band I, Analyse der pindarischen Epinikien. Text und Uebersetzung der isthmischen Gedichte; Band II, Kommentar, 213, 37.
THRAEDE, K. — *Grundzüge griechisch-römischer Brieftopik,* 213, 37.
TIBERGHIEN, P. — *Comment se cultiver,* 215, 144.
TRAINA, A. — *Vortit barbare,* 218, 93.
TUININGA, M. — *Las religiosas,* 215, 143.
UNIVERSITA DI GENOVA. — *MYTHOS. Scripta in honorem Marii Untersteiner,* 216, 190.
USHER, S. — *The historians of Greece and Rome,* 217, 43.
VAGLIA, U. — *Ludovico Calini,* 219, 141.
VARII, *Quatrème Congrès Internatio nal pour le Latin Vivant,* 213, 39.
VARIOS. — *Guía de formación social,* 214, 93.
VARIOS. — *Sexualidad y castidad,* 217, 47.
VÁZQUEZ DE PARGA, L. — *Tractatus de ludo Scacorum,* 220, 181.
VERDIER, R. L. — *Initiation au latin,* 213, 46.
VILLE, G. — *Dictionnaire de l'Archéologie,* 214, 84.
VOGT, W. — *La crisis de autoridad en la educación,* 215, 142.
VOLLARO, S. - MONTI, V. — *Aulo Persio Flacco: Le Satire,* 219, 142.
WALCOT, J. — *Greek Peasants, Ancient and Modern,* 218, 92.
WEBSTER, T. B. L. — *Greek Theatre Production,* 217, 44.
WEBSTER, T. B. L. — *The Greek Chorus,* 218, 95.
WEDGE, F. — *Intenta tener buenos hábitos,* 220, 182.
WEDGE, F. — *Intenta ser alegre,* 220, 182.
WEDGE, F. — *Intenta vencer el miedo,* 220, 182.
WEDGE, F. — *Intenta ahora mismo,* 220, 182.
WEDGE, F. — *Intenta ser valiente,* 220, 182.
WEDGE, F. — *Intenta ser agradecido,* 220, 182.
WEST, D. — *The imagery and poetry of Lucretius,* 215, 134.
WESTERINK, L. G. — *Olympiodori in Platonis Gorgiam commentaria,* 214, 86.
WILD, J. P. — *Textile Manufacture in the Northern Roman Provinces,* 215, 133.
WIMMEL, W. — *Zur Frage von Vergils dichterischer Technik in der Aeneismitte. Der Beginn der Feindseligkeinten in Latium,* 216, 182.
WINTERBOTTOM, M. — *M. Fabi Quintiliani institutionis oratoriae libri duodecim.* Tom. I, libri I-VI; Tom. II, libri VII-XII, 214, 80.
WINTERBOTTON, M. — *Problems in Quintilian,* 214, 81.
XANDRO, M. — *Yo amo, tú amas,* 215, 143.
ZENETTI, L. — *Religión y música moderna,* 214, 92.
ZIEGLER, K. - SONTHEIMER, W. — *Der kleine Pauly Lexikon der Antike.* 17. Lieferung: *Lyseis - Megasthenes;* 18. Lieferung: *Megasthenes-Nasidienus;* 19. Lieferung: *Nasidius - Optimates,* 213, 38.
ZIEGLER, K. - SONTHEIMER, W. — *Der kleine Pauly Lexikon der Antike.* 20 Lieferung: *Optimates - Phoinix,* 216, 183.
ZIEGLER, K. - SONTHEIMER, W. — *Der Kleine Pauly Lexicon der Antike,* Lieferung 21; *Phoenix-Prasodes thalasa,* 219, 138.
ZLOTNICKIEGO, B. — *Lexicon Medicum,* 220, 179.

MARIANUS MOLINA, C.M.F.

# BIBLIOGRAPHIA

PETRINI, E. — *Frontiera adolescenza.* Felice Le Monnier Editore, Firenze, 1969. Pag. 185. Lire 1500.

Nobis admodum placet operis index qui inscribitur "Frontiera adolescenza", cum adulescentium aetas verus in vita hominum limes existimetur. Nulla enim aetas tantam rerum quaestionumque varietatem prae fert ut adulescentia. Itaque adulescentes instituere, eorundem cognitionem altissimam expostulat: quae scilicet adulescentis natura et ingenium videatur, quo modo pueri hac aetate sese gerant. Prof. E. Petrini optimum de adulescentibus conscripsit librum, ubi de adulescentiae mutationibus, de adjunctis socialibus in quibus adulescentes vitam degunt, de familia ejusque praecipuis quaestionibus, de schola hodierna, de modo quo juvenes parvis manibus seu gregibus agunt, de feminarum hac aetate institutione qua jura aeque fere virilia eis tribuuntur, de educatione demum que vulgo apud sociologos democratica inscribitur, magna rerum argumentorumque copia et eruditione disputatur.

SCHNEIDERS, A. A. — *Psicología de la Adolescencia.* Ediciones "Religión y Cultura", Columela 12, Madrid, 1967. Pág. 486.

En alter de adulescentia liber in quo, quidquid ad eam praecipue spectat, facile invenies; volumen in praesens novissima est editio ejusdem operis anno 1951 vulgati admodum tamen retractati atque amplificati, sed cum eodem consilio ab auctore prolato, ide est, investigare quo pacto sese adulescentes in agendo habeant quaeque eorundem natura ingeniumque videatur jam inde a quattuordecim annis ad unum et viginti. Namque si parentes, magistri, institutores juventutis penitus adulescentes cognoscere valebunt, eo magis poterunt optimis moribus conformare. Prima libri parte, quae totius operis est introductio, de sensu atque significatione adulescentiae agitur deque ejus fundamentis ac principiis quae ad psychologiam adulescentiae spectant; altera autem parte, quae physiologiae adulescentium dicatur, non nullae praecipuae mutationes hujus aetatis exponuntur; reliquae quoque partes, tertia, quarta, quinta scilicet, psychologiae, sociologiae, autagogiae ("counseling") adulescentium dicantur.

LEPPICH, J. — *Meditando entre semáforos.* Ed. Verbo Divino, Estella, 1967. Pág. 229.

Hic meditationum evangelicarum liber iis in primis hominibus destinatur qui nostra hac aetate acervos lithocollae ("cemento, hormigón") qui aedes constituunt hodiernas incolunt viasque magnarum urbium bitumine constratas lustrant. Eo animo librum conscripsit auctor ut homini hodierno aliquid propria sponte cogitandum commodaret, hanc rationem meditandi secutus: loco quodam sacrae scripturae sedulo lecto, humanis auctoris verbis verba divina temporibus studiisque nostris per opportune applicantur. Utinam hae meditationes homines per asphaltum hodie incedentes ad orandum adjuvent et gratia divina sub tubulis quoque lucifluis nostrarum urbium caelesti eos lumine suo large conspergat.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

Ex officina typographica "EL NOTICIERO" — Caesaraugustae in Hispania

## Libri qui inscribuntur "TEXTOS PALAESTRA"

VENALES PROSTANT APUD OFFICINAM LIBRARIAM

### EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5 BARCELONA (10)

| | | | |
|---|---|---|---|
| JIMÉNEZ, Repetitorium ... ... ... ... ... ... ... ... ... ... | ptis. | 70 |
| » De Orthographia latina (altera editio). | » | 20 |
| PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio). | » | 100 |

«TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI

| | | |
|---|---|---|
| JIMÉNEZ, *Historiae Sacrae compendium* (5 edit.). | ptis. | 12 |
| » *Epitome Historiae Graecae* (6 edit.) ... | » | 12 |
| RAMOS, *Corneli Nepotis Vitae* ... ... ... ... ... ... ... | » | 12 |
| MIR, *Ciceronis epistulae selectae* (2 edit.) ....... ... | » | 14 |
| JIMÉNEZ, *Ciceronis pro Archia poëta* (2 edit.) ... | » | 12 |
| » *Ciceronis in Catilinam* (2 edit.) ... ... ... | » | 12 |
| RAMOS, *Ciceronis pro Q. Ligario oratio* ... ... ... | » | 12 |
| MARTIJA, *Vergili Aeneidos* (lib. II, 2 edit.) ... ... | » | 16 |
| MARTIJA, *Prudenti Carmina selecta* (2 edit.) ... ... | » | 12 |
| SARMIENTO, *Martialis Epigrammata* ... ... ... ... ... ... | » | 10 |
| ZULOAGA, *Horati Carmina Selecta* ... ... ... ... ... ... | » | 14 |
| RUIZ, *Homeri Odyssea* (lib. I) ... ... ... ... ... ... ... ... | » | 14 |
| RAMOS, *Xenophontis Anabasis* ... ... ... ... ... ... ... | » | 12 |

## Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

175 Herodes - Mimiambs
176 Tàcit - Annals (vol. VI) Llibre XVI
177 Aristòfanes - Comèdies (vol. II)
178 Suetoni - Vides dels dotze (vol. V)
179 Isòcrates - Discursos (vol. I)
180 Ovidi - Amors

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA